AN. LXXX SERIES VII FASC. III. AN. 1955

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concili

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., Ep. Volateranno — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — MAURO A., Add. Secr. Status — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Subpromot. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C[i] — EDITORES PONTIFICI

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N. 4. TEL. 63.931

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 15 - IX - 1955.

† BLASIUS MUSTO
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

PIUS PP. XII, *Motu Proprio* de Pontificio opere primario Religiosarum vocationum . . . . . Pag. 395

Sacra Congregatio de Religiosis.

STATUTA: Pontificium opus vocationum Religiosarum . . . . » 396
— Norma ad Statuta exsequenda. . . . . » 397

JURISPRUDENTIA SACRAE ROMANAE ROTAE ALIORUMQUE TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

Sacra Romana Rota.

Coram R. P. D. PERICLE FELICI, *Ponente. Nullitatis matrimonii seu dispensationis.* Sententia definitiva. d. 22 junii 1949 . . . » 403
Coram R. P. D. PIETRO MATTIOLI, *Ponente. De simulatione totali mulieris conventae.* Sententia diei 27 julii 1949 . . . . » 407
Coram R. P. D. BOLESLAO FILIPIAK, *Ponente. De viri impotentia, ac, subordinate, de matrimonii inconsummatione.* Sententia diei 11 Ianuarii 1952 . . . . . » 413
Coram R. P. D. BOLESLAO FILIPIAK, *Ponente. In causa nullit. matrimonii ob impotentiam viri.* Sententia definitiva diei 9 mart. 1953 . . . . . » 420
Coram R. P. D. PIETRO MATTIOLI, *Ponente. Incidentis de legitimitate appellationis.* TRIPOLITANA MARONITARUM. Decretum diei 28 mart. 1953. . . . . » 426
Coram R. P. D. PERICLE FELICI, *Ponente. Nullitatis matrimonii.* ROMANA. Decisio diei 18 ianuarii 1955 . . . . . » 429
Coram R. P. D. PERICLE FELICI, *Ponente. Nullitatis matrimonii.* FLORENTINA. Decisio diei 22 martii 1955 . . . . . » 432

Tribunal Regionale Etruscum.

Coram R. P. D. AEMILIO SANESI, *Ponente. Sententia primae instantiae.* Nullitatis matrimonii. diei 2 decembris 1953 . . . » 434

STUDIA ET CONSULTATIONES

BIDAGOR, R. De forma extraordinaria celebrationis matrimonii casus singulares . . . . . » 449
BENDER, L. Impedimentorum matrimonialium mutatio vel suppressio » 473

SABATTANI, A. « Gradus remotior trahit ad se propinquiorem ». Improbanda huius principii applicatio . . . . . Pag. 486
OESTERLE, G. De voto in capitulo historice considerato . . . » 492
ROMITA, F. Natura e limiti del canto delle donne in Chiesa . . » 510

JUS ECCLESIASTICUM

Italia.

TRIBUNALE DI MESSINA, Sez. I° Civile. (Sentenza nella causa tra i Sac.ti MOLLICA e BUTERO contro l'I.N.P.S.: *assicurazione obbligatoria per la invalidità e la vecchiaia e per la tubercolosi*) . » 529

RECENSIONES

LEBON, J. *Le meraviglie di Maria* (R. S.). . . . . » 543
LEBRET, L. J. - SUAVET, TH. *Ringiovanire l'esame di coscienza.* (PARISELLA, I.) . . . . . » 543
KOROSAK, B. *Mariologia.* (PARISELLA, I.) . . . . . » 544
BERNARD, R. *Il mistero di Maria.* (PARISELLA, I.). . . . . » 545

DOCUMENTA

Dirigentibus ac Sociis Sodalitatis ab Actione Catholica Belgicae, « Jeunesse Indépendante Catholique Féminine » nuncupatae XXV annos ab eadem Sodalitate instituta celebrantibus, Romae peregrinationis causa coadunatis . . . . . » 549
Provvide indicazioni e norme del Sommo Pontefice a quanti partecipano al « Mondo cinematografico » . . . . . » 551

CHRONICA

Acta Pii PP. XII. - Acta SS. Congregationum. (MAURO, A.) . . » 561
Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTAE SEDIS

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1955_80_3

ACTA PII PP. XII

MOTU PROPRIO

DE PONTIFICIO OPERE PRIMARIO RELIGIOSARUM VOCATIONUM

Cum supremae paternaeque Nostrae sollicitudini respondens, S. Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita peropportunum renuntiaverit Opus primarium religiosarum vocationum condere, quod sibi proponat in christifidelibus — omni sane consilio, sed potissimum per diversa in singulis regionibus constituta id genus Opera — voluntatem excitare fovendi, tuendi, iuvandique ad perfectionis christianae Status vocationes, rectam de dignitate ac utilitate perfectionis Statuum notitiam pervulgare, itemque fideles ex omnibus orbis partibus in communionem precum ac piorum exercitiorum vocare, Nos, motu proprio ac de Apostolicae plenitudine potestatis, Opus, quod Pontificium nominamus, vocationum religiosarum apud eandem S. Congregationem constitutum volumus, statuimus ac decernimus, addita facultate aggregandi Opera ac personas, cum id postulatum fuerit, simulque indulgentias concessas vel concedendas, atque favores spirituales, ad universos adscriptos extendendi.

Quod quidem ratum firmumque sit ac permaneat, contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiari etiam mentione dignis.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XI mensis Februarii, anno MCMLV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

(*A.A.S.*, vol. 47, pag. 266).

(*Adnotationes* ad relata documenta edentur in priximo fasciculo).

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO RELIGIOSIS

PONTIFICIUM OPUS VOCATIONUM RELIGIOSARUM

I

STATUTA

I

Pontificium Opus vocationibus ad perfectionis Status tuendis fovendisque est Opus princeps a Ss.mo Domino Pio Pp. XII constitutum per Apostolicas Litteras motu proprio datas *Cum supremae*, die XI Februarii a. MCMLV.

II

Hoc Pontificium Opus suam sedem habet apud S. Congregationem religiosorum sodalium negotiis praepositam.

III

Ad finem qui praestitutus est adsequendum, Pontificium Opus:

1° curat imprimis propagationem genuinae notionis de perfectionis Statuum natura, utilitate, excellentia prout exponitur in recentioribus documentis pontificiis;

2° promovet opera pietatis, paenitentiae et caritatis, ut Deus multas easque optimas vocationes ad perfectionis Status concedat;

3° fovet incrementum Operum quae pro religiosis vocationibus in singulis regionibus erecta sunt, et curat ut constituantur ubi nondum condita fuerint.

IV

Ad Pontificium Opus adgregari possunt:

Religiones omnes ac Societates quae Religionibus adsimilantur, Instituta saecularia sive virorum sive mulierum, monasteria ac singulae religiosae domus, Consilia ex Moderatoribus ac Moderatricibus maioribus prout nunc in pluribus nationibus exstant, et Opera

quaeque peculiari modo ad vocationes religiosas excolendas iuvandasque constituta.

Eidem Operi adscribi possunt:

Collegia ecclesiastica consociationesque catholicae, christifideles omnes qui sive ad clerum sive ad laicatum pertineant, quique tanto Operi praesto esse cupiant.

V

Pontificium Opus vocationum religiosarum committitur tutelae Sacrae Familiae Nazarethanae quae omnibus perfectionis Statibus « suavis efficacisque coniunctionis vitae contemplativae cum activa praebet exemplum » (Constitutio Apostolica *Sponsa Christi*).

Romae, die XI Februarii anno MCMLV.

VALERIUS Card. VALERI, *Praefectus*

L. + S.

P. Arcadius Larraona, C. M. F., *Secretarius*

(*A.A.S.*, vol. 47, pag. 298-299).

(*Adnotationes* ad relata documenta edentur in proximo fasciculo).

II

NORMAE AD STATUTA EXSEQUENDA

Regimen

Pontificio Operi vocationum religiosarum praeest E.mus Cardinalis Praefectus S. Congregationis de Religiosis; vices eius gerit Exc.mus Secretarius eiusdem S. Dicasterii.

Pontificium Opus nulla in re autonomiam atque legitimam libertatem adimit Operibus peculiaribus quae propriis legibus continentur et ordinantur.

Adscriptio

Petitio adgregationis vel adscriptionis Pontificio Operi pro Statibus perfectionis, collegiis ecclesiasticis, ceterisque institutis vel consociationibus catholicis et Operibus peculiaribus vocationum religiosarum fit ab eorumdem Moderatoribus.

In actu adgregationis vel adscriptionis Pontificium Opus tradit Societatibus diploma, et personis speciale testimonium.

Omnes adscripti modicam stipem annuam conferent.

Piae exercitationes

Quae sequuntur valde commendantur, ut Deus optimas vocationes ad singulos Status perfectionis concedere dignetur una cum auxiliis necessariis quibus vocationes ipsae ad felicem exitum adducantur:

1° abstinentia et ieiunium in vigiliis Assumptionis B. M. V. et Natalis D. N. I. Ch., speciali intuitu Operis vocationum religiosarum;

2° preces quas singuli Status perfectionis per vices, sine intermissione fundant;

3° celebratio *diei vocationum religiosarum* cum pio exercitio per decretum S. C. Rituum adprobato, atque peculiaribus indulgentiis a S. Paenitentiaria Apostolica ditato;

4° celebratio *diei oblationis* in quo infirmi dolores et angustias pro vocationibus religiosis una cum pretiosissimo Sanguine Christi Domino offerent.

Pontificii Operis navitas

Pontificii Operis erit:

1° providere ut typis apte edantur scripta et pervulgentur, quo melius in dies cognoscatur et magis aestimetur dignitas et utilitas religiosae vocationis;

2° suadere sacerdotibus ut ad hoc pertractandum argumentum omnes opportunitates nanciscantur (e. g. conciones quadragesimales, exercitia spiritualia, supplicationes novendiales, catecheses pro adultis, etc.);

3° adhortari fideles ut studeant tum documentis a Sancta Sede datis, tum scriptis Sanctorum Patrum et piorum auctorum de Statibus evangelicae perfectionis et de vita religiosa;

4° fovere in pueris et adulescentibus utriusque sexus, quorum quovis titulo praesertim Statuum perfectionis membra curam habeant, vitae religiosae aestimationem et intimum perfectionis christianae desiderium in eisdem alere;

5° congressus convocare in quibus hoc argumentum tractabitur,

vel saltem curare ut in ceteris etiam congressibus, aliquid semper edisseratur de vocatione religiosa;

6° servare necessitudinem et rationes cum Religionibus, Societatibus, Institutis adgregatis. Opera peculiaria, ceteraque incepta utilia adiuvare, promovere ac inter se colligare, eisdem proponendo aptiora adiumenta ad optatum finem obtinendum. De omnibus dein quae egerint et consecuti fuerint, breviter, plane, accurate Pontificio Operi referant.

Dies festi

Praecipua festa Operis Pontificii erunt:

1° festum S. Familiae, Dominica infra Oct. Epiphaniae;

2° festum Omnium Ss. Fundatorum;

3° festum Ss. Petri et Pauli, die 29 Iunii;

4° dies onomasticus Summi Pontificis, supremi Moderatoris omnium Statuum perfectionis.

Romae, die XI Februarii anno MCMLV.

VALERIUS Card. VALERI, *Praefectus*

L. + S.

P. Arcadius Larraona, C. M. F., *Secretarius*

(*A.A.S.*, vol. 47, pag. 299-301).

(*Adnotationes* ad relata documenta edentur in proximo fasciculo).

JURISPRUDENTIA
SACRÆ ROMANÆ ROTÆ
ALIORUMQUE
TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

SACRA ROMANA ROTA

I

Coram R. P. D. Pericle Felici, *Ponente*

Nullitatis Matrimonii seu Dispensationis

SENTENTIA DEFINITIVA

(diei 22 junii 1949)

(*Omissis*)

In Jure. - 2. Matrimonium dicitur consummatum cum inter coniuges locum habuit « coniugalis actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo coniuges fiunt una caro » (can. 1015 § 1), videlicet cum vir membro suo virili erecto vaginam muliebrem penetravit in eaque sperma effudit. Tribus igitur constat canonica matrimonii consummatio: ea membri erectione quae, spectata viri mulierisque complexione, ostii vaginalis arctitudinem vincat seminisque secumferat effusionem: penetratione membri in vaginam, non necessario completa aut profunda, se tali ut saltem apex glandis in canali vaginali versetur (cfr. S. Off. d. 1 martii 1941): tandem vero semine in vagina deposito. De veri seminis natura licet sit ante disputatum et hodiedum disputetur, ex constanti tamen N. S. A. iurisprudentia tenendum prorsus est illud esse verum semen, quod testiculis effectum per naturales vias membro eiaculetur: neque referre, quod est saepius ambiguum neque probatu facile, adsintne nemaspermata necne. Quaprorter si vir unum saltem testiculum viventem habeat, epididymos et deferentes pervios necnon, uti patet, organum copulatorium, scilicet virgam, liquidum seminale quod inde emittitur verum semen censetur (cfr. Dec. S. R. Rotae c. *Wynen*, d. 21 apr. 1941 et d. 25 oct. 1945).

Uti dictum est, verum semen in vagina est deponendum: unde non consummatum habendum esset matrimonium, cuius usus fuerit onanistice habitus: attamen cum hinc difficile sit ostendere ne unam quidem guttam seminis fuisse tali usu in vagina depositam: inde vero non deceat quasi in praemium tanti criminis dispensationem pontificiam sollicitare, tale matrimonium consummatum censetur.

3. - Matrimonii inconsummatio triplici assolet probari argumento: nempe per coarctata tempora, physico et morali.

Primum, quod est longe princeps et quamcumque vincit praesumptionem, exinde deducitur quod coniuges post celebratas nuptias ne uno quidem momento una et soli ita fuerint ut matrimonium

consummare potuerint. Argumentum physicum constat inspectione genitalium mulieris, cuius hymen, si integer reperiatur, inconsummationem innuere potest. Attamen argumentum physicum summa cum consideratione adhibendum est: nam neque dilaceratus hymen matrimonii consummationem valide evincit: potuit enim ob alias causas traumaticas, quas vocant, disrumpi: neque ipsa hymenis integritas consummationem excludit, nam, ut ait Dalla Volta: « Quando il forame vaginale si dimostra molto largo (ut v. c. in hymene annulari, inciso et fimbriato) il perito deve tener presente la possibilità che abbia avuto luogo un coito completo con penetrazione del pene in vagina, *senza lesione dell'imene*. Altre volte la penetrazione del pene, resa facile dall'ampiezza del forame vaginale si accompagna ad infrazioni piccolissime del bordo libero della membrana che quando siano scomparsi i segni della cruentazione recente non sono in genere sicuramente distinguibili da incisure congenite... Oltre l'ampiezza del forame vaginale va tenuta presente la distensibilità dell'imene. Questa membrana può presentare un grado molto diverso di distensibilità ». (*Trattato di medicina legale*, Milano 1933, vol. I, p. 381; cfr. etiam Palmieri, *Medicina legale canonistica*, Città di Castello 1946, p. 179). Non semel accidit ut ad explicandas minores dilacerationes hymenis, ad digitorum viri molimen recurratur: at animadvertit idem Dalla Volta: « L'evenienza d'infrazioni imenali da *digitatio* può assurgere ad un valore tutto speciale, in materia ecclesiastica, nelle cause di matrimonio che si asserisce rato e non consumato. Il perito deve tener sempre presente che, di regola, non vi sono dati che permettono di differenziare se l'infrazione imenale debba attribuirsi ad azione del pene o ad altra causa ed in particolare ad azione violenta del dito o di più dita, più o meno reiterata » (*op. cit.* vol. I, p. 383; cfr. etiam Palmieri, *op. cit.* p. 179).

Peritus in causa praesenti, ut mulieris physicam virginitatem validioribus sepiat argumentis, invocat sive permanentem vaginae ' rugositatem ' sive pectus virginale. Sed haec signa, praesertim ubi hymen dubium suggerit consummationis, sunt satis infirma: imo circa rugositatem vaginae, Dalla Volta recolit « di aver osservato, sezionando vagine di prostitute da lunghi anni dedite al meretricio, vagine con rughe non meno abbondanti e procidenti di quelle osservate in donne vergini » (op. cit. vol. I, pag. 386 sq.).

Tandem argumentum morale inconsummationis fulcitur depositionibus partium et testium inconsummationem asserentium, testimonio septimae manus, attento sive adiunctorum sive praesertim motivi inconsummationis examine. Palam est argumentum morale debilitari si fides partibus et testibus adhibenda periclitetur

vel etiam si suspicio oriatur collusionis. Attamen ubi motivum inconsummationis fuerit viri impotentia aliunde certo probata, non est mirandum quod vir impos suum vitium denegare conetur vel tribuat comparti, quod fuerit v. c. nimis frigida vel arcta vel obstilis, consummationis defectum. Etenim praesertim vir ab impotentia abhorret et timet ne in dedecus vertatur quod saepe est naturae vitium: idque facit etiam si libertatem ex matrimonio desideret eamque recuperare contendat. Quapropter, uti innuimus, viri impotentia non ex ipsius confessione sed ex omnibus aliis probationibus et documentis demonstranda est.

4. - Cum in praesenti ratio inconsummationis dicatur viri impotentia ex neurasthenia sexuali, circa hunc morbum immorari paullisper iuverit. Neurastheniam his verbis describit PENDE: « Il carattere fondamentale diagnostico dello stato nevrastenico... è la preoccupabilità eccessiva, non motivata, associata a facile esauribilità ed a debolezza irritabile del sistema nervoso, preoccupabilità e debolezza irritabile che concentrando l'attenzione del paziente su questo o quell'apparato del proprio corpo e costringendolo ad un'autoosservazione continua determina da una parte sensazioni subbiettive, spesso bizzare, di stanchezza dolorosa, dall'altra parte fenomeni veramente obbiettivi di astenia o di impotenza funzionale dell'apparato organico più compromesso » (*Trattato sintetico di Patologia e Clinica Medica*, Messina 1930, vol. III, p. 582). Cum organa corporis, maxime neurasthenia affecta, sunt genitalia, neurasthenia sexualis seu genitalis appellari consuevit hisque signatur synthematis, quae recolit citatus Pende: « erezioni incomplete, eiaculazione precoce, polluzioni notturne frequenti, che lasciano un gran senso di spossatezza e di rachialgia lombare; impossibilità di compiere il coito con le persone amate o che stimolino fortemente l'emotività sessuale » (*op. cit.* vol. III, p. 587; cfr. etiam CAPELLMANN-BERGMANN, *La médecine pastorale*, Paris 1926, p. 119). Animadvertit tamen P. GARNIER: « L'esaurimento nervoso genitale differisce essenzialmente dall'impotenza propriamente detta, potendo risultare da tante altre cause apparenti né potrebbe confondersi con essa sebbene a volte vi faccia capo del pari ». (*Nevrastenia sessuale*, Milano 1946, pag. 67; cfr. etiam MOGLIE, *Manuale di Psichiatria*, Roma 1940, pag. 230). Et prosequitur: inter neurastheniam genitalem et impotentiam id viget discrimen: « L'esaurimento nevrastenico è simile alla prostrazione passeggera che risulta da abusi o da eccessi venerei: mentre quello dell'impotenza è assoluto, durevole e spesso definitivo. L'erezione difettosa o mancante è sopratutto il carattere manifesto di questa, mentre può ancora persistere con quello. L'impotenza è in generale accompagnata da al-

terazioni da lesioni psichiche o da malattie apparenti: è subordinata ad esse e scompare soltanto con la loro guarigione. Per produrre l'infiacchimento nervoso genitale fino all'esaurimento basta, invece, una irregolarità nella funzione dei principali atti vitali: digestione, assimilazione, circolazione, respirazione, esercizio, lavoro fisico e mentale. L'impotenza, in una parola, è una malattia organica: l'esaurimento nervoso è un semplice disturbo funzionale. E quindi ogni difetto o diminuzione della virilità, senza lesione apprezzabile, deve far pensare all'indebolimento nervoso e ricercare il disturbo morale e fisico capace di produrlo ». (op. cit. p. 71). Illa verba: *senza lesioni apprezzabili* (sermo est plerumque de microlaesionibus) pressius determinat Pende dum scribit: « Nella nevrastenia genitale io ho constatato i segni dell'ipertiroidismo, della spasmofilia costituzionale o del dispituitarismo o la calcificazione precoce della pineale, fatti associati o non a deficiente volume degli organi genitali. Cosicché *è lecito pensare* che questo fattore non manca *quasi* mai di agire insieme con l'esagerata emotività della sfera sessuale nel determinare questa forma di neurastenia ». (*op. cit.* vol. III, pag. 584).

Eapropter qui dicitur ex neurasthenia sexuali impos, non ita est impotens ut numquam possit, ne recreatis quidem viribus, coitum plene perficere: etenim neurasthenia sexualis et curari potest et refectis nervis aliquatenus mitigari: in idque plurimum valent animae corporisque concumbentium dispositiones. Dalla Volta postquam recensuit peculiaria neurastheniae sexualis synthemata, concludit: « Questi sintomi... non escludono ovviamente la capacità al coito con donna *a vagina molto capace*, permettono tuttavia di giudicare assai difficile o anche impossibile il coito deflorante ». (*Trattato di medicina legale*, cit. vol. I, pag. 433). Idem Dalla Volta inter synthemata neurastheniae sexualis recenset etiam eiaculationem retardatam, quam, licet, raro, experiri fas est et nemo matrimonii consummationi adversam dixerit. Tanzi et Lugaro censent neurastheniam sexualem esse « conseguenza di eccessi, di polluzioni notturne, d'onanismo o indizio di speciale labilità nella cerchia delle funzioni genetiche. In queste condizioni il coito è povero di voluttà e lascia dietro di sé una grande fiacchezza ». (*Trattato delle malattie mentali*, Milano 1923, vol. II, pag. 618).

Quae cum ita sint, singulis in casibus videndum est an copulam peragere nequiverit is qui praedicatur ex neurasthenia sexuali impos. Atque maxime cavebit iudex ne fides indiscrete iis adhibeatur peritiis medicorum, quae deductiones suas fere ex anamnesi, quam dicunt, partis impotentis seu interesse in iudicio habentis hauriant.

(*Omissis*)

II

Coram R. P. D. Petro Mattioli, *Ponente*
de simulatione totali mulieris conventae
Sententia diei 27 julii 1949

Vertente anno 1947 A. natione italus, sed in Austria natus die 19 maji 1911, et in Africa Orientali indesinenter degens usque ab anno 1935, manum petivit cuiusdam austriacae puellae, nomine Teresiae quam novennem in Austria reliquerat quando e regione illa migraverat, ad certandum in bello italo-aethyopico, nec amplius dein in posterum viderat. Propter hoc, ad puellae matrem rescripsit.

Teresia, tunc temporis, civili foedere se junxerat cuidam, qui juvenis erat aetate minor quam illa, non bonis moribus nec bona indole donatus, nec munus quodcumque exercens, quo mulierem ac familiam procreandam alere potuisset.

Institit, proinde, mater, ut Teresia relicto G., matrimonii propopositionem ab A. scripto datam acceptaret. Cui matris suggestioni tandem adnuens, obtento civili divortio, mense decembri 1948 patriam reliquit, iterque instituit ad urbem Gibuti, ubi A. degebat, qua faber lineae ferreae « Gibuti-Addis Abeda ».

Sed, ut A., tot post annis, denuo vidit, illum statim despexit, ob aetatis nempe disparitatem ac socialis conditionis: erat enim illa assistens seu adiutrix apud medicos dentarios, ac proinde gestu, habitu, loquela, moribus, manifesto elatior atque elegantior, quam humilis viae ferreae operarius.

Aversione, igitur, erga virum concepta, adhuc vincta amore G., quem desiderare numquam destitit, cuique litteras amantissimas sine interruptione misit, omni nisu adlaboravit ad matrimonii cum A. celebrationem devitandam. Circumstantiis autem omnino peculiaribus prementibus, matrimonium acceptavit ac celebravit die 3 febr. 1949.

Vita communis cito impossibilis facta est; nam mulier, juxta praeordinatum, neque occultatum, propositum, quod ut condicionem sine qua non consesui sacramentali apposuerat, jus in proprium corpus marito praefracte negavit.

Sic mense aprili ad exhibitionem libelli, pro matrimonii nullitatis declaratione obtinenda, ex parte utriusque coniugis, ventum est.

Tribunal primae instantiae, libello admisso ac partibus de more citatis, dubium concordavit sub formula: « An constet de matrimonii nullitate, in casu, ex defectu consensus in muliere ».

Dein, per sententiam diei 15 maji, juxta partium assumptum decisit.

Appellante Vinculi defensore hoc Apostolicum Tribunal, dubium in altera instantia, suetis sollemnitatibus, concordatum est: « An constet de matrimonii nullitate in casu ».

In Iure. - Cum matrimonium faciat partium consensus, et consensus huiusmodi sit « actus quo utraque pars tradit et acceptat jus in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem » (c. 1081), necessario consequitur matrimonium non effici, cum utraque pars, vel alterutra, externam etsi consensus emissionis caeremoniam complens, interne traditionem-acceptationem juris in corpus deneget prorsus, seu respuat, vel illud perpetuum et exclusivum tradere renuat.

Quod consensus simulatio in jure auditur, verbisque can. 1086 in Codice traditur: « Internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis. At, si alterutra, vel utraque pars, positivo voluntatis actu, excludat matrimonium ipsum, aut omne jus ad coniugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit ».

Simulatio totalis vel partialis esse potest, ut Auctores tradunt et nemo ignorat. Utraque matrimonii nullitatem secumfert. Ad ipsam evincendam, simulantis affirmationem, etiam sub juramento datam, non sufficere, explorati juris est. Nam, qui simulat, praesertim in re tam gravi, quamlibet fidem amisit.

Oportet, proinde, de simulationis causa diligentissime inquirere, et circumstantias et conjecturas antecedentes, concomitantes et et subsequentes ad trutinam revocare (Gasparri, De matr., n. 818, ed. 1932).

In Facto. - Patres minime aufugit pondus obiectionum, quas cl. Defensor vinculi admovit circa litteras G., quae in actis prostant, ac circa epistolam, quam mulier, in pervigilio nuptiarum, praedicto misisset.

At, quoad litteras G., DD. Judices admittendas censuerunt authentiae attestationem a Tribunali primi gradus datam; quoad vero epistolam Teresiae quae peculiare momentum in causa habere videtur, attendendum est ad id, quod praefatum Tribunal declaravit: « Quae epistola Teresiae a dno G. subreticius, inscia Teresia retenta est, alterae quinque a Teresia Tribunali traditae sunt ».

Sic bene explicatur cur et quomodo huiusmodi scriptum, in quo mens et animus mulieris, imminente nuptiarum celebratione, aperitur, S. Tribunali traditum fuerit, itemque cur G., sub die 24 febr., conqueri poetuerit, eo quod nullam amplius epistolam ab amasia recepisset.

Quaerit insuper D. V.: « Num possumus tuto fidere affirmationi mulieris quae mendax reprehensa est? ».

Responderunt Domini mulierem, in tabulis, nedum mendacem apparere, sed et quovis honestatis ac relligionis sensu carentem. Etenim G. vero concubinatu, etsi catholica et catholicae nationis subdita, se ligare ausa est; ipsum cito dereliquit, ad contrahendum cum A.; sed, matrimonium jamjam celebratura, adhuc primo mittebat litteras turpi et insana passione aestuantes; operam insuper dabat ut illum apud se, vel matrimonio coniugatam, haberet, certo certius ad adulterium patrandum; tandem, marito legitime petenti debitum reddere pertinaciter renuit, at seipsam alii viro facile concessit.

Tali mulieri fidem quamlibet praestare nefas est: ideo definierunt Domini dicta mulieris, tam in judicio quam extra prolata, esse acceptanda non quia ab ea proveniunt, sed in quantum a depositis viri et a certis causae adiunctis, invicte probatis, confirmata apparent.

Quibus praemissis, ad examen depositionum et documentorum deveniendum est.

Depositio actoris per summa capita haec est: ipsum Teresiam adhuc quasi infantem, in loco originis, anno circiter 1935, reliquisse; matri eius, vertente anno 1947, ipsum eumdem manum puellae, etsi civili foedere cum G. junctae, postulasse; matrem petitioni huic adnuisse ac filiae instanter divortium a G., ac nuptias cum A. suasisse; filiam consilia materna ad effectum perduxisse; eam A., in urbe Gibuti inventum, statim despexisse; matrimonio eum sibi copulare refutasse; prementibus certis peculiaribus adiunctis, civile foedus, matrimonio excluso, inire tentavisse; tandem, caeremoniam nuptialem, animo absentem, complevisse, sed onera coniugii essentialia impudenter respuisse.

Videndum an asserta ab actore in actis probentur.

Confirmatur, in primis, per litteras informativas Ordinarii, A. ab annis in Africa Orientali commorari, ac Teresiam Gibuti petivisse solummodo mense decembri 1948.

Confirmatur etiam, ex litteris a partibus productis, ipsam A., statim ac eum, tot post annis, denuo vidit, fastidisse, atque G. constanter desiderasse. Scribebat isti die 2 februarii, idest in pervigilio nuptiarum: « Amare con tutto, e veramente tutto il cuore, un uomo nella patria, e sposarsi un altro, in paese lontano, senza vero amore. Ma, cuoricino mio, che possa venire tutto quello che vuole, io ti vorrò sempre bene ».

Ceterum, non agi hic de amore platonico, sed de ardenti ac communi desiderio simul vivendi, ac mutuo commiscendi, inaequivoce ostendunt scripta cetera, in quibus passim G. amasiam informat se operam dedisse ad munus quodcumque in Gibuti obtinendum, ut apud eam vivere possit. Perpendantur loci sequentes:

« T. non è colpa nostra che ci vogliamo bene e siamo attaccati l'uno all'altra come le zecche... Ebbene, T., nei confronti di A. dovevamo essere onesti e sinceri, e credo egli ne dimostrerà la necessaria comprensione. A dire la verità, non era bello che tu sei andata, ma capita spesso che si fa una sciocchezza ».

Item: « ... o vieni tu, ed io ti verrei incontro fino al confine svizzero, e cominceremo qui una nuova vita felice, oppure vengo io da te. Domani stesso comincerò a fare i preparativi necessarii... cercherò d'essere assunto presso la Direzione Ferroviaria per Gibuti... credo che non ci potrebbe essere compito più gioioso che quello di raggiungerti. In qualche maniera riuscirò, e verrei ancche a costo di dover andare scalzo ».

Similia ad rem exhibent epistola diei 30 jan. 1949 et alia epistola sub data « domenica, ore 18 ».

Unde, bene intelligitur informatio haec Rev.mi Ordinarii: « Rogavit G. ut oppositionem non faciat ad veniendum in Djibuti amantis eius, quod propositum firmiter recusavit G. ».

Sed et mulierem omni nisu adlaborasse ut matrimonium amplius non celebraretur, vel saltem per solum civilem actum attentaretur, informationes ac documenta sat ostendunt. Scribit ad rem Ordinarius: « dna T. Patres missionarios de Djibuti adiit et interrogavit eos num possibile non est se tantum unionem civilem contrahere, rationes vero non confessa est, sed declaravit tantum se dnum G. non amare ».

Attamen, animus mulieris, haec obtinere satagentis, plene aperitur in litteris pervigilii nuptiarum, quas ipsa pro amasio praeparavit: « Sì, carissimo — legitur ibi — se tu sapessi quanto io sono infelice! Ho rimandato il matrimonio fino ad oggi, ma ora non si può più, e domani dovrebbe essere il giorno. G., cuoricino mio, quante cose ho provato contro questo. Sono stata dal Vescovo tutti i giorni, perchè volevo che sposassimo solo civilmente, ma il Vescovo non ci consente. Cuoricino, senti tu come me e sai cosa vuol dire sposarsi col rito della Chiesa? ».

Bene, proinde, haec mulier noverat quid sit quidve importet consensum matrimonialem coram Ecclesia proferre. Non ignorabat dignitatem sacri connubii, ad sacramenti gradum evecti, itemque naturam ac pondus officiorum, quae coram Deo, ex ipsius celebratione, consequuntur.

Sed, haec omnia cum respueret, ac pariter sciret internum eius animi consensum nequaquam fuisse conformem verbis, in celebrando sacro ritu, adhibendis, ideo, ad sacrilegium evitandum, sacramenti celebrationem pro viribus omittere sategit, ac civile tantum foedus (quod per divortium, facile, ex praeteriti experientia, solvi posse resciebat) inire temptavit.

Cessit, tandem, pressionibus A., peculiaribus ac fere inextricabilibus adiunctis et circumstantiis vexati, quae solum per immediatam matrimonii celebrationem ipse dirimere posse credebat; at, dum cedit, haec amasio scribit: « O G., cuoricino mio, ti voglio bene, pazzamente bene... possa venire tutto quello che vuole, io ti vorrò sempre bene, e manterrò pure la promessa. A. mi fa veramente tanta pena.

Io ti voglio bene, sempre ed eternamente. Sta bene, amor mio ». Promissionem, de qua heic sermo, esse eamdem, quae in epistolis G. saepe recurrit, clarum est, ipsamque consistere in denegando proprii corporis traditionem viro illi, cui in eo est ut nubat, quique proinde, coram oculis eius, in obiectum dolentis pietatis convertitur, ex litterarum contextu bene intelligitur.

Et haec non fuisse simpliciter verba, ad quietandum quomodocumque G. animum praeparata, sed vera signa internorum mulieris sensuum ac propositorum, recte desumitur ex depositione viri, undequaque fide digni: « Die ante nuptias, T. mihi declaravit se matrimonium in Ecclesia contrahere nolle, et pecunias necessarias ad redeundum in Austria a me petivit. Tentavit omnia ut matrimonium sacramentale vitaret, enixe rogavit ut solum unio civilis contraheretur, si circumstantiae id absolute requirunt. Die quoque ante nuptias rogavit ut matrimonium sacramentale differatur, et in extremis consensit tantum de matrimonio sub conditione ut debitum matrimoniale implere obligata non sit, saltem per annos, secundum suum discrimen ».

Opponit strenuus D. V., pro munere suo, nec ubicumque mulierem simulationem confessam esse, nec agi heic de condicione proprie dicta.

Et primum quidem verum est, si cortici verborum attendatur; facta autem et circumstantiae antecedentia et concomitantia prorsus contrarium ostendunt. Quid amplius, nempe, facere poterat, quidve aliud dicere mulier haec, juris expers, ad significandum et probandum se nolle A. coram Deo ligari? Usque ad extremum certavit ut sacra celebratio evitaretur, vel saltem sine die differretur; usque ad pervigilium celebrationis, etsi a Missionariis edocta, actum solummodo civilem inire voluit, ut sacramentum non violaret, et vinculo indissolubili, quod refutabat, se non ligaret. Ad aras, denique, invita accessit, quasi extranea ac mente capta adstantibus apparens, verbumque sacramentalis consensus ita protulit ut vix praesentes, ipsique sacramentales testes, illud audirent, sicut indubie constat ex actis. Nec satis, nam unus e testibus celebrationis in judicio refert: « Die ante nuptias, interrogavi dominam Teresiam num dominam A. eam appellare possum, et respondit: « *Numquam!* ».

Quae omnia in judicio mulier, saltem quoad substantiam, et agnovit et admisit, confessionem simulantis proinde reddens, itemque indicans huiusmodi simulationis rationabiles causas: quae quidem sunt et amoris carentia relate ad A., quem numquam fere in vita sua viderat, et totalis adhaesio animi ac corporis deditio G. illi, cui sponte fidelitatem perpetuam, esto coram civili magistratu, sponderat, ac dein, etiam post obtentum divortium, renovaverat.

Quoad alterum: non agi nempe hic de conditione proprie dicta, gratis a D. V. assertum fuisse Patribus visum est. Etenim, non nuda viri assertione, condicio in casu sustinetur. Haec fuit praecise circumstantia, quae a muliere, tamquam extrema ratio, viro, qui maxime celebrationem — ob notas causas — urgebat, obiecta ac proposita fuit. Ac tantum acceptatione circumstantiae ipsius ex parte viri, sacramenti celebratio locum habere potuit, haud secus! Speravit quidem vir — ut Ordinarius refert — mulierem, post nuptias, suum propositum mutaturam, sed perperam. Nam illa id, quod ante matrimonium nuntiaverat, quodque a futuro marito, per condicionem sine qua non, acceptum voluerat, in vita communi firmiter tenuit, ac tectum coniugale impavida corruere sivit, potius quam implemento condicionis, sine qua non contraxisset, renunciare.

Agitur, ergo, sententia Patrum , de vera conidicione de futuro contra matrimonii substantiam, quae simulationem mulieris magis illuminat, quaeque de se jam sufficeret, ad normam can. 1092, 2°, pro consensu irritando.

Nec cum egr. D. V. opponatur quod propositum denegandi viro traditionem proprii corporis, ex parte mulieris « temporaneum cum esset, non jus ipsum, sed juris exercitium excludebat ».

Nam re vera tale propositum nequaquam temporaneum, quidquid verba mulieris, forte euphemistice prolata, ostendant, sed fixum ac definitivum fuisse, omnes epistolae invicte probant, abruptio communis thori, tam cito a muliere imposita, plene confirmat, ac ipsa depositio viri jam satis innuit. Dicit namque iste citato loco: « ... sub condicione ut debitum matrimoniale implere non obligata sit, saltem per annos, *secundum suum discrimen* ».

Ac in fine depositionis melius explicat: « T. conditionem posuit qua mihi significavit jus in corpus marito suo non tradere, quam restrictionem viginti annos, *vel semper* durare posse ».

Age nunc: de essentia coniugalis consensus esse traditionem corporis, non ad proprium discrimen et libitum comparti concedendam, ac per annos quidem, ac forte semel pro semper eidem denegandam, sed *perpetuam et exlusivam*, i. e., illi soli, *toties quoties* rationabiliter, pro rerum adiunctis et probatis moribus, illa petit, faciendam, pacificum est. Quod evidenter mulier, per condi-

cionis descriptae appositionem, melius impositionem, positivo voluntatis actu, procul dubio, exclusit.

Probata igitur simulantis confessione; probatis, ex informationibus Ordinarii et ex documentis productis, gravibus ac rationabilibus simulationis causis; probatis circumstantiis antecedentibus, concomitantibus ac subsequentibus, quae simulationi favent, maxime autem aversione T. erga A. ante ac post nuptias, eius amore erga Guillelmum, debiti denegatione marito pertinaciter facta, communionis thori brevitate, abruptione eiusdem a muliere provocata ac fere imposita; prae oculis habito quod acta credere non sinunt causam quamcumque dissociationis animorum, et insanabilis discordiae, exsurrexisse post matrimoni celebrationem, sed omnia adscribi debere solum eventibus et causis abunde expositis, itemque quod soli Patres Missionarii consilia coniugibus dederunt, iidemque unionis et concordiae operam sagaciter navarunt, ac viam judiciariam adeundam solum post reconciliationis tentamina frustra adhibita, in bonum animarum, indigitarunt, satis probatum defectum coniugalis consensus in muliere Patres Domini habuere.

Quibus omnibus... ad dubium propositum: « Affirmative, seu constare de matrimonii nullitate, in casu ».

Andreas Jullien, *Decanus.*
Arcturus Wynen
Petrus Mattioli, *ponens.*

III

Coram R. P. D. Boleslao Filipiak, *Ponente*

Sententia diei 11 Ianuarii 1952

de viri impotentia, ac, subordinate, de matrimonii inconsummatione

Species Facti - 1. Communi cum gaudio celebratae sunt nuptiae, die 8 ianuarii 1940, in ecclesia S. Nicolai loci C., inter Albertinam, puellam viginti annorum, et Carolum, tredecim annis ipsa maiorem, mercatorem. Fausta tamen auspicia non secutus est convictus, satis agitatus, qui m. iulo a. 1943 finem cepit, cum coniuges communi consilio ab invicem se separaverint. Die autem 3 octobris a. 1947, mulier apud Tribunal P. matrimonium nullitatis accusavit, ob impotentiam viri. Sententia actrici infausta prodiit die 14 iulii a. 1950, a qua ipsa ad N. S. O. appellavit, atque instantia advocati sui petiit, ut ex Pontifica Commissione causa etiam de inconsummatione subordinate ageretur. Obtenta dicta facultate,

atque actis causae relatione peritioris suppletis, hodie Nobis respondendum est duplici concordato dubio:

Ad I.um: « An constet de nullitate matrimonii, in casu », et quatenus negative;

Ad II.um: « An consilium praestandum sit Sanctissimo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato, in casu .»

In Iure. - 3. Quamvis impotentia antecedens et perpetua ipso naturae iure matrimonium dirimat, tamen non raro in facto sat difficile est, morali cum certitudine, definire, utrum necne agatur de impotentia in sensu canonico (cfr. can. 1068, C. J. C.), id est de impotentia coeundi. Impotentia vero coeundi est inhabilitas ad habendam copulam carnalem perfectam, quae fit per feminae vasis penetrationem ex parte viri et seminis in id effusionem (Reiffenstuel, lib. IV. Decretal., tit. XV, de frigidis, n. 2). Cfr. sententiam diei 1 decembris 1948, coram Filipiak, in una Theatina seu Aprutina.

4. - Praeclusa autem via iudiciali, deficientibus nempe argumentis evincentibus notas dirimentes assertae impotentiae, fas est progredi via gratiae. Siquidem, vi can. can. 1119, 1973, C. J. C., dispensatio a matrimonio non consummato, inter baptizatos, potest peti a Sede Apostolica, si morali cum certitudine constet de inconsummationis facto, atque iustae adsint causae pro concessione huius gratiae. Porro autem matrimonii inconsummatio iuridice evinci debet, inter alias causas ex illa ab impotentia sive absoluta sive relativa deducta etsi tamquam certo insanabilis probari nequeat. Quae vero causa iuste praesumere sinit matrimonium non fuisse consummatum.

Impotentia tamen viri non semper a peritis extra dubium affirmari potest, neque illa functionalis.

Hinc recurrendum est ad alia indicia et circumstantias, quae valeant *suspicionem* inconsummationis corroborare atque confirmare; inter alia habentur concors coniugum affirmatio, testimonia septimae manus, praesertim vero attestationes medicorum extraiudiciales, quae facile iudicem inducere possunt ad admittendam moralem certitudinem de facto non consummationis (Cfr. sententiam Rotalem diei 19 novembris 1947 coram R. P. D. Wynen, in una Mediolanen.).

In Facto. - 5. Imprimis excludenda est in viro convento impotentia instrumentalis seu organica, secundum medicas peritorum probationes; uterque vero peritus admittit *impotentiam functionalem*, quam tamen negat esse absolutam et perpetuam.

Re quidem actrix arguit virum conventum impotentia functionali, seu psychica, tam in libello quam in iudiciali depositione. Sane dicendum est, cum iudicibus praecedentis instantiae, causas huiusmodi, ex impotentia nempe viri, difficilioris esse probationis, cum communiter, sicuti in casu Nostro, non satis constet de impotentiae insanabilitate. Neque periti rem peremptorie definire ausi sunt neque patroni partium rem in fore Nostro agunt, sed potius causam inconsummations volvunt atque deliberant. Quapropter causam nullitatis matrimonii negativa sententia absolvere Patres decreverunt.

6. - Estne vero dicendum matrimonium discussum fuisse consummatum, in casu?

Argumenta exterius perpensa videntur clamare pro consummatione matrimonii. Mulier actrix non amplius signa virginitatis exhibet. Quamvis omni suspicione maior atque fide digna, et a parocho et a testibus, declaretur, admittenda videretur, matrimonii consummatio, dato facto lacerationis hymenis, quam tres medici, post inspectionem corporalem, extra omne dubium posuerunt. Etiam peritior a N. S. T. delegatus confirmavit priores testificationes medicas; affirmavit vero lacerationem hymenis, obiective sumptam, aeque causam habere potuisse ex amplexu coniugali, atque opera interventus chirurgici. Idem peritior asseruit, contra testimonia praecedentium medicorum, mensuram lacerationis hymenalis esse satis amplam: « è possibile introdurre nell'ostio vaginale della perizianda gli Hegar che corrispondono alle dimensioni di due dita unite insieme, del diametro di circa 35-40 mm. ».

7. - Non obstantibus hisce medicis probationibus, peritior, examinatis omnibus causae documentis atque probatis, conclusit, concorditer ceterum cum medicis peritis praecedentis instantiae, copulam carnalem inter coniuges esse excludendam, atque incisionem hymenis orginem duxisse ex interventu chirurgico, quem Dr. C. a. 1942 explevit.

Peritioris conclusiones, perpensis totius causae adiunctis — iuxta praescripta can. 1804, C. J. S. — admittendas eses, censuerunt Patres.

Etenim in actis exstant:

a) testimonium D.ris C. qui d. 31 martii a. 1947 statum genitalium actricis *eumdem* invenit ac tempore interventus chirurgici, m. septembri a. 1942. Tunc, autem, secundum attestationem eiusdem medici, hymen integer fuit, ita ut ostium vaginae, valde angustum, nonnisi digitum indicem introducere sineret. Pari tem-

pore, medicus operam suam actrici praestans, instrumento Hegar arctissimo usus est, quod declarat « della larghezza di poco più di due centimetri ». Insuper medicus membranam hymenis rigidam invenit « tornai a rilevare la rigidezza della membrana imenale e non scorsi lesioni sul suo bordo ». Malo fato, Dr. C., in actu interventus Chirurgici, membranam perforavit: « Introdussi a fatica », ita refert medicus, « le valde, nella speranza che, manovrando con delicatezza, avessi potuto avere uno sfiancamento dei tessuti, che mi consentisse l'adempimento dell'atto operativo, ma ebbi la certezza che, nonostante le mie precauzioni, ad un certo momento della predetta introduzione, si verificasse una *notevole lesione* del bordo imenale ».

Notandum est cancellarium Curiae fidem D.ri C. dandam testimonio confirmare.

b) relatio periti D.ris L. qui confirmat asserta D.ris C., et ex statu membranae hymenalis deducit quod copula, etsi incompleta, maiores provocavisset scissuras, si locum habuisset.

c) alter peritus Prof. M. substantialiter adhaeret opinioni primi periti.

8. - Quae medicorum attestationes maxime corroborant depositionem actricis, quae constanter viro convento obicit impotentiam atque absolutum copulae defectum. Ipsius depositiones definitae sunt: « qualche volta si avvicinava e mi lasciava subito, senza bagnarmi...; qualche altra volta mi bagnava, ma sempre al suo primo avvicinarsi. Dopo questi fatti egli aveva alcune volte crisi di pianto, alcune volte mi diceva: « compatiscimi, io sto male ». Depositio autem viri est contraria: ipse matrimonium consummatum vellet, et quidem pluries. Sed fides viro tribui haud potest: est enim incertus, vacillans, non sibi constans; sufficit conferre ea quae in una eademque depositione iudiciali enuntiavit: « pur confermando quanto più sopra ho dichiarato (scilicet de plena perfectione), avendo a mia volta interpellato specialisti ginecologici, anche all'estero, mi trovo nella condizione di dover anche ammettere che, nel caso specifico dell'atto coniugale tra me e mia moglie, ci fosse in quest'ultima una conformazione naturale, in condizioni eccezionali tali, da ammettere *il dubbio della unione coniugale* ».

9. - Constat ex actis virum conventum infirmitatibus pluribus subiectum fuisse, iam ab initio vitae coniugalis. Ipse hoc admittit: « Date le peripezie della mia vita, il sistema nervoso ha subìto a volte delle scosse, però non gravi, che si ripercuotevano nel sistema funzionale dell'intestino ». De qua viri infirmitate, conqueritur ac-

trix verbis profusis: « mentre egli mi aveva sempre detto che era sanissimo, trovai che *stava sempre male*. Mi accorsi che portava un busto, che sporcava sempre la biancheria (seppi dopo che aveva una fistola anale); aveva frequenti coliche e collassi ». Actrix prosequitur in describendo morbo viri, qui ab initio convictus vitam coniugalem turbavit, et quem actrix postea a medicis definitum scivit: « forma intestinale specifica con fistola aperta ».

10. - Notas morbi ab actrice significatas, plene confirmat Dr. Z., qui coniuges ipso anno celebrationis matrimonii cognovit Bononiae. Dictus medicus, ex statu physico viri conventi, necnon ex ipsius vi psychica attenuata — reapse vir coram medico conquestus est de inferiore conditione sua relate ad mulierem — concludit virum conventum actum coniugalem perficere haud potuisse. Mulier autem actrix, secundum dicta D.ris Z., qui querelas viri conventi refert, audaciam viri maxime minuit, cum infirmitatem physicam mariti nonnisi aegerrime tulerit « anziché incoraggiarlo, e mostrarsi affettuosa, lo umiliava, prendendo lo spunto da questo suo stato di inferiorità ». Qua ratione morbus, quem idem medicus « stenosi rettale » vocat, multas et quidem graves in viro convento provocavit perturbationes ordinis psychici, relate ad actum coniugalem: « uno stato permanente di fobia dell'atto coniugale, per cui il sig. Carlo si trovava psichicamente nell'impossibilità di compiere l'atto » (Cfr. confessiones, quas vir conventus medico D.ri Z. fecit, occasione commorationis in montibus « Alta Valtellina », tempore hiemali, m. februario a. 1941).

11. - Viri infirmitas sexualis satis adumbratur etiam a D.re W., qui eidem curas medicas praestitit tempore praenuptiali, in civitate Addis Abeba, a. 1939: tunc agebatur quidem de intestinorum cura, at medicus, ex generali patientis constitutione physica, inducit ipsius potentiam sexualem attenuatam (« temperamento squisitamente nervoso... il tono neuropsichico »). Tempore vero posteriori, etsi pro hac causa suspecto, anno nempe 1947, Dr. W. viro convento, consilia medica quaerenti necnon de debilitate sexuali atque de eiaculatione praecoci conquerenti, opportuna obtulit remedia.

Atqui deductiones D.ris W. atque posteriores ipsius viri conventi confessiones eidem medico, a. 1947 concreditae, minime singulares sunt; siquidem, plene concordant cum relatis a medico Z. cui a. 1940, seu anno celebrationis matrimonii, et deinde m. februario a. 1941, vir conventus confessus est multa, quae praesumptiones D.ris W. corroborant atque confirmant.

12. - Si autem attestationes medicae doctorum W. et Z. conferuntur probationi medicae D.ris C., qui a. 1942 actricem integram invenisse asserit, impotentia, viro ab actrice obiecta, solidum fundamentum recipit.

Qua ratione, laceratio hymenis non iam operae viri sed interventui chirurgico D.ris C. adscribenda est.

13. - Quae autem vir conventus in excussione sua iudiciali asseruit circa copulas pluries, et quidem perfecte expletas, *ipsius commento* computanda sunt, cum false putaverit initialem quemdam ad vulvam feminae accessum constituisse copulam. Ceterum, ipse, quasi incertus de tam definitis copulae perfetcae successibus, statim subiunxit: « salvo qualche volta che (l'eiaculazione) avveniva anche prima, al semplice contatto colla natura ».

Re quidem, mulier actrix conatus copulae admittit, quos tamen infructuosos affirmat « mi accorgevo che in questi suoi avvicinamenti io restavo bagnata e sporca »; deinde, eadem actrix asserit se numquam, in primis amplexus conatibus, sanguinem fudisse. Ex adverso, viri infirmitas sexualis satis indicatur relatis D.ris W. et D.ris Z.

Neque denique praetermittenda est natura membranae hymenalis, quae a peritis, necnon a peritiore, inventa est satis tenax.

14. - Nec dicatur denique vir, perforato a medico hymene, facilius in vaginam penetrasse, atque hoc modo copulam tempore posteriori consummasse.

Peritior obiectionem solvit, adducendo momentum psychicum, secundum quod sponsus praecoci eiaculatione obnoxius difficilius vim sexualem recuperat.

Sane dicendum est possibilitatem copulae — perforato iam hymene — excludendam esse: mulier enim actrix primis conatibus, haud bene gestis, pertaesa, nonnisi frigidam atque adversam sese praestituit, quo vero vim viri conventi iam attenuatam maxime debilitavit. Infirma salus, negotia male gesta, ita refert actrix, in viro convento provocaverunt animum pronum ad iram, ad aemulationem, ita ut actrix quae primum marito compatiebatur, deinde sensus nonnisi taedii, necnon frigoris, persentiret. Notum verum est mulierem, hisce animi dispositionibus praeditam, virum sexualiter debilem maxime enervare, eiusque vim sensim penitus frangere. Juvat hic referre quae medicus Dr. Z. viro convento, d. 5 aprilis 1941, praecepit: « Per diminuire — nei limiti del possibile! — l'emotività, il nervosismo, prenda sistematicamente, alla sera, una compressa di questo Placidolo. Ma, nel contempo, non trascuri

di prendere quelle gocce di elixir paregorico e belladonna, che le prescrissi. Se poi trovasse della « belladonna » anziché in gocce, in altra forma, anzi in « bella forma » (e solida), ne prenda pure a suo piacimento! la rimetterebbe in tono in poco tempo ». Praeterquam consilia medici parum honesti, atque principia christiana impudenter neglegentis, vehementer vituperanda sunt, innuunt tamen permanentem in viro convento difficultatem copulae perficiendae coniugalis, in viro quidem illo qui, ut videtur, etiam cum aliis mulieribus impotens fuit. Ceterum, adhuc a. 1947, post reditum suum ex Hispania vir conventus D.ri W. aperuit se minime meliore quam antea uti conditione.

15. - Medici periti necnon peritior factum praegnantiae ex conceptione per attractionem seminis virilis, exclusa ordinaria atque naturali copula carnali, admittunt; neque locus est cur, in hoc casu, datis circumstantiis atque indiciis supra relatis, reici debeat.

16. - De justa causa dispensationis dubitandum non est: mulier actrix, impotentia viri pertaesa, animum a viro adversum fovet atque alias honestas nuptias desiderat.

Ideo censuerunt Patres consulendum esse Sanctissimo, ut dispensationem imploratam concedere dignetur, addita clausula de qua in parte dispositiva sententiae.

17. - Quibus omnibus perpensis..., respondemus ad dubia proposita:

Ad I.um: *Negative, seu non constare de nullitate matrimonii, in casu;*

Ad II.um: *Affirmative, seu consilium praestandum esse Sanctissimo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato, in casu, vetito tamen viro transitu ad aliud matrimonium inconsulta Sancta Sede, id est hoc Apostolico Tribunali* ».

Boleslaus Filipiak, *Ponens*
Guillelmus Doheny
Petrus Mattioli

N. - SS.mus imploratam dispensationem concedere dignatus est.

IV

Coram R. P. D. Boleslao Filipiak, *Ponente*

Sententia definitiva diei 9 mart. 1953

(in causa nullit. matrimonii ob impotentiam viri)

Species Facti. 1. Infelices fuere sortes matrimonii, die 17 septembris 1917, in paroeciali ecclesia S. Francisci celebrati, inter D.nam Annam, unius et viginti annorum, et Marium, quindecim annis maiorem quam ipsa. Etenim, post aliquot pacificae conviventiae annos, exortis dissidiis ob adulterium mulieris, coniuges, circiter anno 1931, ad separationem definitivam devenerunt.

Qui socius fuit adulterii mulieris, i. e. D. Vincentius, iuvenis viginti quinque annorum, qui studiis medicinae tunc, in regia Universitate, vacabat, a coniugibus admissus fuit in domum coniugalem, tamquam sub-inquilinus, die 13 maii 1926.

Die 20 februarii 1927, primum filium Anna parturiit, cui nomen Elius impositum fuit: die 8 maii 1929, Felix natus est: die 4 octobris 1931, Maria.

At, currente tertia mulieris graviditate, magnus dissensus inter coniuges exarsit, eo quod a semestri, circiter, maritus uxore sua nullo modo utebatur. Inde, adulterii accusatio erga mulierem, et coniugalis separatio.

Sed, cum Anna, die 20 februarii 1939, ultimum filium edidit, cui nomen Seius, Marius, ab annis iam separatus, puerum denunciari sivit sub proprio nomine, tamquam ipse pater naturalis esset, nec aliquid de facto egit ad illum repudiandum.

Anno, tandem, 1940, mulier causam hanc de nullitate vinculi ob impotentiam viri, apud Tribunal X. instaurandam curavit, ac sententiam sibi favorabilem suscepit, die 11 augusti 1948.

Appellante Defensore Vinculi H. S. T. quaestio, obtenta interim a Summo Pontifice, orante muliere, opportuna facultate, pertractanda venit sub dubiis:

1° - an constet de matrmonii nullitate, in casu; et, quatenus negative:

2° - An consilium praestandum sit Sanctissimo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato.

2. In Iure. - Quamvis impotentia antecedens et perpetua ipso iure naturae matrimonium dirimat, tamen non raro, in facto, sat difficile est morali cum certitudine definire utrum agatur de impotentia in sensu canonico, id est de impotentia coeundi (cfr. can. 1068. C. I. C.).

Impotentia coeundi est inhabilitas ad ponendam copulam carnalem perfectam, quae fit per foeminei vasis penetrationem ex parte viri, ac veri semins in id effusionem (Reiffenstuel, lib. IV Decret. tit. XV. n. 2 de frigidis et maleficiatis et impotentia coeundi).

3. Proinde, inter causas impotentiae, recte accensetur defectus testiculorum, eorumque atrophia, quae nempe talis est, ut neque in uno ex ipsis amplius producatur virile semen. Munus peritorum est ostendere *gradum atrophiae*, ex quo deducere liceat an ipsi adhuc semen producere possint, necne. Sufficit, enim, ut vir vaginam mulieris naturali modo penetret, et in eadem verum semen, i. e. materialem in testiculis elaboratam, effundat, esto nemaspermatibus carentem, ut impotentia excludi debeat.

4. Atrophiam testiculorum secumferre, praesertim si, omnibus perpensis, congenita haberi debeat, defectum erigibilitatis virgae, ita ut agglutinatio seu compenetratio organorum utriusque sexus prorsus impossibilis evadat, passim docent scientifici tractatus (Cfr. Dalla Volta, Medicina Legale, 1933, vol. I. p. 427).

5. In huiusmodi causis, praecipua probatio generatim invenitur in relationibus peritorum, praesertim illorum, quos, certis sub legis praescriptis ,Judex constituere tenetur, ad perlustrandum corpus illius, qui impotentiae accusatur. Attamen, dum, ex uno latere, expresse lex statuit iudicem ad sequendas peritorum conclusiones non teneri (c. 1804), ex altero, per constantem iurisprudentiam, firmatur elementa ordinis moralis, ac documenta tempore non suspecto redacta, in hisce plurimi facienda esse, itemque praesumptiones et adminicula (cfr. can. 1812 et ss., can. 1825 et ss. v. etiam coram Quattrocolo 1 jun. 1938, dec. XXXIV n. 6; coram Heard, 16 martii 1938, dec. XVIII n. 2; coram Morano, 19 jan. 1935, dec. IV n. 3 etc.).

6. Praeclusa autem via iudiciali, eo quod notae dirimentes assertae impotentiae, praesertim insanabilitas, perspicue probari non valent, adhuc patere potest via gratiae, idest imploratio dispensationis matrimonii rati et non consummati, ad normam can. 1119-1973 C. I. C.: si verbi gratia, de impotentia constet perdurata toto vitae communis tempore, ita ut morali certitudine affirmari possit copulam numquam inter conuges intervenisse, et aliunde justae adsint causae pro gratia concedenda.

7. In Facto.

A. *De impotentia viri.*

Thesi mulieris, impotentiam viri mordicus asserenti, firmiter vir idem restitit, non quidem in iudicio comparendo, ac debitum

competenti Magistratui obsequium praestando, sed litteras mittendo, quae saltem sale deficiunt. Ipse, enim, citationibus Tribunalis scripto respondens, jactanter affirmat, iam septuagenarius, se post declarationem nullitatis vinculi, aliam mulierem, iuventute florentem, ducturum, ipsamque foecundam redditurum. At, praeter quam quod eius pertinax contumacia, quam ne interventus quidem directus Exc.mi Archiepiscopi frangere potuit, gravem de vera impotentia suspicionem movet, non desunt in actis alia summi ponderis argumenta in favorem thesis actricis, de qua diximus.

Et in primis Patres exigendum curarunt utriusque asserentis credibilitatem.

8. - Actrix, quamquam peccati non expers, fide christiana, ac morali illa dignitate, per quam homo credibilis fit, destituta non apparet.

Testimonium parochi ipsi favet, praesertim quoad filiorum institutionem. Plures sunt testes, qui pseudo-familiam, ab ea, per contubernium cum Vincentio, constitutam, utique abstrahendo a vinculo, laudant atque extollunt, ob modum vivendi.

Quapropter, nihil peremptorie obstat quominus actrici, impotentiam mariti asserenti, et quidem cum constantia et discretione, fides adhibeatur; eo vel magis, quod plura causae elementa ipsi asserenti suffragantur, ut mox ostendetur.

9. - Sed, actricis credibilitati maxime conferenda est, in casu, iactura cuiusvis fidei, quam conventus ex actis patitur.

Suam virilem potentiam, in iudicio (per scriptum), et extra iudicium (isti et illi), constanter ab annis asserverat, sed inspectionem corporalem, quam Tribunal ipsi praecepit, semper refutavit. Scribit de abortibus, quos uxor passa esset, a. 1918, et a. 1920: sed de his probationem nullam afferre valet. Quis medicus diagnosim de abortibus pronunciavit?

Scribit etiam de filiis, a sua muliere editis perdurante vita communi, ut dictum est, et quidem dum ab utroque coniuge rei sexuali attendebatur.

Sed multa acta causae ostendunt, ex quibus hos filios non esse conventi operae tribuendos, certo deducitur. Prae primis, attendatur ad similitudinem physicam, quam vel primus, ex dictis filiis, idest Elius, cum patre naturali habet: testantibus hoc testibus insuspectis, veluti exempli gratia, fratre conventi, i. e. Rev. Sac. Joanne.

Sed, et soror conventi, quae in iudicio comparere renuit, de eadem re, tempore non suspecto, fidem praebuit: ab ipso enim Elio mulier haec, in aestu irae, inducitur dicens: « ... non sei figlio di mio fratello Mario ».

Ceterum, ipse Marius, in suis litteris Tribunali missis, eo audaciae et insipientiae pervenit, ut summam a muliere exigendi ipsi ius esse dicat pro sustentiatione filii Elii, quem ipse per annos aliquot aluit.

Tandem, ne praetermittatur Marium tamquam proprium filium agnovisse, vel tamquam suum filium inscribi tolerasse, et ultimum natum; i. e. Seium, a muliere editum octavo post separationem anno. Utique, asserit se querelam adulterii contra mulierem illo tempore instaurasse; stat autem factum quod Seius adhuc cognomen Marii retinet: id, quod magis confirmat Marium esse dotibus masculinis, ac dignitate maritali carentem.

Ingenuum frater eius, i. e. Rev. Joannes, eum definit; semifatum nonnulli inter testes; sed, plus quam testes, eius scripta animum, ingenium, intellectum plene produnt. Praeter quae, et modus gerendi, a convento in hoc iudicio adhibitus (de quo iam satis supra), attendendus est; nam, per sua dicta et acta vere miserationem observantis excitat: veluti qui nescit quid dicat, quid agat, quidve sibi consequendum proponat. Ergo, qualibet fide indignus, maxime propter mentem non plene evolutam, conventus habendus est.

10. - Veniamus ad documenta.

Prae primis, illud notandum est, vi cuius conventus, in vigesimo suae aetatis anno constitutus, iudicio collegii medicorum militarium, eximebatur a stipendiis merendis, ob vitium testiculorum, i. e. « *per arresto di sviluppo di ambedue i testicoli* ». Ut vitium huiusmodi exemptioni totali locum dare potuerit, grave, absque dubio, idemque evidens, esse debuit.

Unde, non modo, per documentum hoc, accusatio mulieris robur et confirmationem recipit, sed etiam firmantur dictiteria, quae in eius pago natali circumferebantur (ob quae non una puella illum tamquam sponsum reppulisset), nequaquam esse solido fundamento destituta.

11. - Obiicitur conventum, in altera inspectione militari quae, a. 1917, grassante bello, contigit, liberatum fuisse a stipendiis merendis non ob vitium testiculorum, sed ob morbum crurum (vene varicose). Sed, facile intelligitur huiusmodi crurum vitium longe evidentius, prae alio, fuisse, quodque ipsum, ad effectum de quo agebatur, prius quam cetera quaecumque attendi debebat, in exemptione a servitio decernenda. Nam, libero atque expedito artuum usu — uti par est — miles quam maxime indiget; et, ubi hoc patenter deficiat, supervacaneum prorsus fit de quibusvis aliis de-

fectibus corporis, plus minus influentibus, exquisitiorem indaginem instituere.

12. - Sed quaestio oritur: a sat generica medicorum militarium asseveratione, potestne legitime concludi pro omnimoda conventi impotentia? Re enim vera, si testiculorum incrementum progressum non est, quodlibet tamen incrementum negari non potest; ideo quaeritur utrum conditio testiculorum, in casu, admitteret, an certo excluderet, potentiam illam virilem, quae satis est ad valide contrahendum.

Prof. Paulus, in fusa sua relatione, quae advocati actricis cura producta est, asseruit, absque disceptatione, testiculos ita parvulos esse, ut certo constet de impotentia. At, quod gratis asseritur, gratis declaratur. Nec facilius rem probat alter medicus, quem sollers patronus causae arcessivit, i e i doct. Raphael.

13. - Verum, quod a relationibus praedictorum medicorum tuto desumi nequit, id, actis sedulo rimatis, exhauritur, seu ex effectibus inductionem faciendo ad causam. Nam, cuncta causae adiuncta, scilicet personarum, locorum, temporum, ad ostendendum plane conveniunt Marti testiculos, a. 1917, quo controversum matrimonium celebratum est, ex vitio congenito, in ea condicione fuisse, qua Marius impotentia perpetua laboraret. Quae adiuncta sunt:

a) Rumor viciniae seu fama (Reiffenstuel, lib. II t. 20 n. 363. n. 384 ss.; lib. IV tit. 19. n. 16), rumor uniformis, constans, ortus in pluribus locis, ubi Marius, ante et post matrimonium, commoratus est, ex iis, quae viderunt et audierunt testes fide digni.

b) Actrix, etsi iuventute florens, nonnisi anno nono, a nuptiis initis, prolem concepit, cum, nempe, iuvenis Vincentius in domum coniugum, tamquam hospes permanens, introvit. Quae quidem proles non patris legalis, sed naturalis, ut dictum est, similitudinem physicam praesentat.

c) Confessio mulieris, quae fide dignissima, solidis argumentis, declarata fuit (v. supra). Cui illa Vincentii, qui similiter, ex adiunctis, fide dignus apparet, addi debet. Etenim, unus et alter, domo Marii relicta, secundum et tertium filium secum duxerunt. Cum autem de primo, i. e. de Elio, contestatio ortum habuit, actrix et socius omni nisu adlaborarunt ut et iste, sicut ceteri, relicta domo Marii, apud genitores remearet. Et Vincentius, bene notetur, medicus est! At, difficile admittitur quod vir quicumque, et maxime medicus, omnem lapidem moveat ad conclamandum onus retinendi, alendi atque educandi puerum, de cujus paternitate ipse certus non est.

d) Postremo ac praesertim: habitus tum corporis cum mentis Marii plene congruunt cum iis habitibus, qui sunt proprii eunucoidorum et impotentium. De habitu mentis plura diximus; de corpore: notetur vox feminea, defectus barbae etc. Deponit testis quidam: « ha una voce senza timbro virile, piuttosto feminea, qualità che appare anche nella sua barba assai rada, nei suoi modi fiacchi... »; item medicus Salvator: « in quanto alla voce, a me medico dava l'impressione dei famosi cantori evirati, dall'aspetto glabro e dal timbro di voce femmineo ».

Et hoc unum, in summa, ex actis eruitur: Marium suum statum physicum celare velle, eo quod ipse, et propinqui eius, confessionem impotentiae probrosam retinent. Vidimus de modo, quo se gessit erga Tribunal ecclesiasticum. Cum Anna, mulier eius, non rectis ducta consiliis, causam de impotentia a. 1940 apud Tribunal civile C., instaurare tentavit, vir, apud adv. Melli, qui de re in hoc iudicio fidem dedit, declarationem subscripsit, qua admisit « *senza nessuna riserva la sua importanza, anche prima del matrimonio* ». Sed, paulo post, hanc declarationem destructam voluit. Eam tamen vidit doct. Salvator, et de ipsa a Mario audivit testis Franciscus.

Unde, optime concludit testis Mauritius: « Mario non ha mai fatto alcun passo (legale) contro la moglie, ne contro il V., e questo lo attribuisco al fatto che era consapevole delle sue condizioni fisiche ».

14. - Sed quispiam dicet, his omnibus minime obstantibus, medicum Edmundum, optima fama fruentem, cuius examini conventus sponte se submistit, de eodem convento testatum esse: « *che egli presenta completi i segni della virilità* ».

Respondetur quod praelaudatus medicus, in jus arcessitus et iuramento obstrictus, declaravit in patiente invenisse « *testicoli eccessivamente piccoli* », quodque, sanctitatis iuramenti conscius, *nullum iudicium proferre voluit de potentia coeundi et generandi patientis eiusdem.*

Igitur, perpensis perpendendis, Patres tenuerunt documentum, a praefato medico redactum, plene confirmare illud medicorum militarium, qui conventum in iuventute inspexerunt, eum a servitio militari eximentes.

Frustra, proinde, conventus extollere ultra modum nititur attestationem doct. Edmundi, ad jactitandum suum virile robur; nam, ea quae medicus in iudicio protulit, quaeque nuper audivimus, magis nocent quam prosunt asseverationibus conventi.

15. - Propter quae, utique una simul sumenda, Patres adhaerendum non censuerunt conclusioni periti ex officio, i. e. Prof. Eleutherii: qui, actis solummodo examini subiectis, rem quidem vidit (nec aliter videre poterat) aub aspectu scientifico; dum Iudicis est argumenta etiam indolis moralis ex actis colligere, eademque attentissime exigere ac cribrare.

16. - *De inconsummatione matrimonii.*

Cum elargitio dispensationis super rato vinculi validitatem supponat, quaestio inconsummationis, in casu, probata iam impotentia antecedente et perpetua viri, evidenter superflua devenit.

17. Quibus omnibus in iure et in facto perpensis..., dubiis propositis respondemus:

1° - *Affirmative, seu constare de matrimonii nullitate, in casu, vetito tamen viro transitu ad aliud matrimonium, vi can. 1068 C.I.C.*

2° - *Provisum in primo.*

ANDREAS JULLIEN, *Decanus*
BOLESLAUS FILIPIAK, *Ponens*
PETRUS MATTIOLI

V

Coram R. P. D. PETRO MATTIOLI, *Ponente*

TRIPOLITANA MARONITARUM

Incidentis de legitimitate appellationis

Decretum diei 28 mart. 1953

Apud Tribunal Ordinarium Curiae Tripolitanae Maronitarum, dato libello a dno B., sub die 31 martii 1949, accusatum est matrimonium, quod praedictus dominus, die 31 octob. 1948, cum dna Anna contraxerat, ex capite condicionis a viro appositae et non verificatae: quod mulier viro datura esset certam summam, quam ei spoponderat.

Sed, per decretum diei 15 maji 1951, dictum Tribunal causae instructionem intermisit, agnoscens virum ut culpabilem nullitatis causam.

Ex tunc, Promotor Justitiae accusationem assumpsit, et, completa instructione, sententia primi gradus, die 16 jun. 1951, prodivit, qua decisum est constare, in casu, de matrimonii nullitate.

Appellante, de more, defensore vinculi, rem vidit in altero gradu primus appellationis turnus apud Tribunal Patriarchale: qui,

tamen, Justitiae Promotore non vocato, praefatam sententiam, die 20 octob. 1951, reformavit.

Ad hac decisione, vir ad alterum turnum Tribunalis Patriarchalis provocavit: qui, quidem, non advertens causam pertractari ex accusatione Promotoris Justitiae, appellationem viri admisit (Patrono mulieris super hoc non contradicente), et ad sententiam tertii gradus, die 15 martii 1952, devenit: qua decisum est *constare de matrimonii nullitate.*

Defensor vinculi acquievit, non autem mulier: quae, appellatione interposita intra decendium, postea, per memoriale, die 20 apr. 1952, Beatissimo Patri oblatum, mentem suam aperuit de motivis appellationis, postulans ut de re adhuc videretur apud S. Rotam.

Praetensis mulieris vir restitit, per memoriale diei 5 maji 1952, accusans mulierem de exceptionibus futilibus ac defatigantibus, ac instans ut duplex sententia conformis de nullitate vinculi, a Defensore vinculi non appellata, immediatae exsecutioni demandaretur.

Re ad hoc Apostolicum Tribunal a Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali remissa, Patres turni attentum animum verterunt ad vota Promotoris Justitiae et Defensoris vinculi, et ad scripta advocatorum utriusque partis: idest Exc. Marci Antonii Pacelli, pro viro, et cl. Conradi Bernardini, pro muliere.

Qui postremus, per memoriale diei 12 febr. 1953, haec sustinenda suscepit, videlicet:

A. - Legitimam esse appellationem mulieris ob duplex motivum:

1°) - Quia nullum esset judicium primi gradus: in quo — ut ex actis — contra jus et fas Vice Officialis Curiae, qui collegio judicanti praeerat, certa die suum munus praesidendi dimisit, illud alii personae commitens.

2°) - Quia nullum esset judicium tertii gradus, quod ad exitum perductum est non ex appellatione Promotoris Justitiae, sed viri, qui hoc jure destitutus erat.

B. - Utcumque (i. e. si et in quantum praedicta reiecta fuerint), certo certius mulieri competere remedium ulterioris propositionis causae, ad normam can. 497 Codicis de Judiciis pro Ecclesia Orientali: vi, nempe, novorum ac gravium argumentorum, quae indicantur.

Circa quae, Patres de turno, hac die legitime congregati, animadverterunt:

A. - Mulieri nequaquam competere, in casu, jus appellationis, enimvero:

1°) - Insanabilis nullitas judicii primi gradus sustineri non posse videtur. Nullitas, namque — ut passim docetur in Rotalibus decisionibus — res odiosisssima est in jure, et nequaquam admittenda nisi ipsa substantia alicuius actus inficiatur, aut expresse, in aliquo legis praescripto, statuatur (coram Heard, S. Andreae et Edimburgen., Incid., die 16 mart. 1953).

Neque, ex loco citato cl. Roberti, si integre legatur, nullitas, de qua agitur, evinci posse videtur; ibi enim scriptum reperitur: « Officialis ex Codice judex ordinarius constituitur. Ipse enim habet potestatem ordinariam et unum constituit tribunal cum Episcopo, ita ut ab Officiali ad Episcopum nulla detur appellatio (c. 1573, § 2). Cum loquimur de Officiali, debemus considerare munus, non personam: ipse enim potest habere vice-officiales adjutores (c. 1573, § 3); sed, quoad munus, omnes veniunt nomine Officialis, et quidquid ab unoquoque fit, ab Officiali intelligitur factum... At, *quamvis in Codice non habeatur expressa prohibitio*, officium non potest delegari, quia datur industria personae » (De processibus, 1926, vol. I, pag. 165). Per quae satis innuitur (quidquid de rei opportunitate vel liceitate sentiendum sit), munus praesidendi collegio judicandi ab Officiali, vi potestatis ordinariae, qua pollet, alteri *non invalide* delegari: nam, et expressa prohibitio in lege deest, ut audivimus, et, consequenter, quaelibet invaliditatis sanctio.

2°) - Judicium tertii gradus, in casu, non esse nullum, sat patet ex responso Pont. Commiss. pro Codice interpret., dato sub die 4 januar. 1946 (AA. A. S., 1946, pag 162).

B. - Quoad alterum Patroni mulieris assumptum, Patres adnotarunt exposita a cit. egregio viro in praefato memoriali potius quam *nova* argumenta, examen atque censuram constituere argumentorum illorum, quibus tribunalia, quae pro nullitate pronunciarunt usa sunt: de qua censura judicium ferre, Nobis, in praesens, nullimode spectat.

Quibus quidem, in jure et in facto, perpensis, Patres de turno decreverunt recursum dnae Annae, in casu, esse in toto reiiciendum, ac declarationem nullitatis vinculi conjugalis, per duplicem validam sententiam, a tribunalibus competentibus, ut supra, pronunciatam, esse immediatae exsecutioni demandandam, cum hac clausula: Ordinarius, nempe, si teneat, pro suo arbitrio et conscientia, maxime ratione habita condicionis oeconomicae utriusque partis, pensionem aliquam alimentarem uxori spectare usque ad diem exsecutionis sententiae, quantitatem pensionis huiusmodi aeque determinet, ac viro solvendam imponat, intra tempus ab Eo statuendum, ac sub poenis Ipsi reservatis.

Expensas huius incidentalis judicii mulier recurrens integre solvat.

Notificetur Promotori Justitiae, Defensori vinculi, atque Patronis utriusque partis in causa.

PETRUS MATTIOLI, *Ponens*
EMMANUEL BONET
JOANNES MARIA PINNA

VI

Coram R. P. D. PERICLE FELICI, Ponente

ROMANA

Nullitatis Matrimonii

Decisio d. 18 ianuarii 1955

(*Omissis*)

IN IURE. - 2. Nullum facit coniugium qui contrahens excludit bonum prolis, quod est inter essentialia matrimonii, imo constituit finem matrimonii principalem.

Ast non omnis exclusio prolis, licet perpetua, continet exclusionem juris ad actus coniugales, in quo proprie residet bonum matrimonii essentiale. Singulis eapropter in casibus inspiciendum est quid proprie excludere voluerit contrahens. Dici potest jus voluisse excludere qui absque exclusione prolis numquam nullamque ob causam fuisset matrimonium contracturus: cuius igitur voluntas praevalens non est matrimonium sic et simpliciter sed *tale* matrimonium, nimirum cum exclusione prolis absoluta. Quod ut probetur, non sufficit attendere nuda verba deponentium, neque unam alteramve praesumptionem: sed animus nupturientis est penitus explorandus, totius causae complexu considerato, omnibusque praesumptionibus simul perpensis.

3. - Quoniam autem patronus partis conventae ad quasdam praesumptiones provocat, quae totam rem in suum favorem verterent, circa eas recolere iuvat principia communia nostrae Rotalis jurisprudentiae.

Asserit in primis egregius patronus *conditionem*, qua proles excludatur, indicare *semper* exclusionem juris, et ad suam thesim defendendam allegat auctoritatem clarissimorum Lehmkulh et Card. Gasparri. Sed qui rite pendit verba prioris auctoris (*Theol. mor.* II, 689) illico concludet in citata conditione « dummodo omnem prolem excludamus donec melior fortuna arrideat » contineri exclu-

sionem juris: nam prosequitur auctor: « etsi pro futuro tempore (melioris fortunae) iam nunc ad iura matrimonialia sese mutuo obligare intenderunt etc. »: ergo non ad jus sese obligare intenderunt donec melior fortuna arrideret. Porro nemo negat exclusionem juris ad tempus secum ferre nullitatem matrimonii. Sed hoc demonstrandum est et minime praesumitur, etsi verbum adhibeatur conditionis, si exclusio ad tempus facta sit. Conclusio autem eximii Lehmkulh, qui dicit valorem matrmonii per hanc conditionem suspendi ad modum contractus sub conditione de futuro, minime favet patrono, cum ad matrimonii valorem satis esset ut melior fortuna reapse arrideret.

E.mus Card. Gasparri, cuius verba patronus non refert, ita re scribit: « Apposita simpliciter haec conditio excludit ipsum jus, nisi aliud probetur. Apposita vero cum aliqua limitatione, e. gr. dummodo post primum vel alterum filium prolem evitemus de cetero abusuri matrimonio, vel: dummodo interim omnem prolem excludamus, donec melior fortuna arrideat: indicat contrahentem voluisse verum inire matrimonium, sed simul jure matrimoniali abuti, nisi aliud constet » (*De matrim.* II, 81). Et hunc tramitem sequuta est jurisprudentia N. S. A., quam hisce verbis in una *Taurinen.*, Null. matr. d. 28 febr. 1950 c. *Felici* complexi sumus: « Conditio est regina praesumptionum in favorem exclusi juris, imo exclusi boni prolis praestat certitudinem, si matrimonium contractum sit cum conditione omnis prolis in perpetuum vitandae. Conditio enim resolvens dispositionem ita ligat voluntatem disponentis seu, ut in casu, contrahentis ut sine ea voluntas ipsa contrahendi deficiat: quo fit ut si omnimoda exclusio prolis apponatur tanquam conditio contractui matrimoniali, hic contractus ita iniri intenditur ut omne excludatur quod ad prolem gignendam conducat ideoque ipsum jus quod fundat debitum praestandi actus per se aptos ad prolis generationem, et propterea hoc idem jus est contra voluntatem contrahentis. Attamen ubi obiectum conditionis non est exclusio sed potius limitatio prolis, praesumptio stat pro excluso juris exercitio, nam ex una parte non repugnat exercitii juris limitationem fieri materiam licitae conditions matrimonali foederi apponendae (v. gr. contraho tecum dummodo per primum annum nullum actum coniugalem ponamus: quae quidem conditio, si vera esset conditio, suspenderet et non irritaret matrimonialem contractum): ex alia parte huiusmodi conditio, etsi videatur conditio ex particula qua est expressa, indicat potius modum quo matrimonium contrahitur, et modus, uti notum est, matrimonialis foederis non tangit essentiam. Unde legimus in una H. S. T. matr. d. 5 julii 1923 coram *Parrillo* (extensore R. P. D. *Massimi*): 'Si matrimonio conditio apponatur de vitanda prole, conditio simpliciter apposita prae-

sumitur excludere ipsum jus coeundi, nisi aliud probetur: apposita vero cum aliqua limitatione e. gr. dummodo post primum vel alterum filium prolem vitemus, de cetero abusuri matrimonio, vel: dummodo interim omnem prolem excludamus, donec melior fortuna arrideat: indicat contrahentes verum inire matrimonium, nisi aliud constet (Lehmkuhl, *Theol. mor.*, II, 689; Gasparri, *De matr.* cit. 1006; Dec. XV, 16, 4) ».

4. - In *Florentina*, Null. matr. d. 23 mai 1950 c. *Felici*, pariter in jure dicebamus: « Cum ex jurisprudentia constet exclusionem prolis perpetuam, factam per conditionem resolutivam, non solum praesumptionem sed etiam certitudinem dare exclusi boni prolis, non raro fit ut partes, quae huiusmodi exclusionem accusant, ut facilius victoriam reportent, verbum usurpent conditionis. Sed praeter quam talis conditio bonis argumentis firmanda est et non sufficit ut ea affirmetur a partibus, licet fide dignis, satis cavendum est ne conditionis verbum substantiam contineat quae vix propria sit conditionis: aliis verbis non ex cortice verborum probanda est sed ex tabulis processualibus rite et attente consideratis, ita ut tunc tantum ea admittatur cum clarissime constet nupturientes nonnisi prole absolute et perpetuo exclusa (ex gravissima quidem causa) matrimonium contrahere voluisse ».

5. - Merito assentiendum est patrono affirmanti exclusionem juris ad tempus secum ferre nullitatem matrimonii, nam jus ad actus coniugales tradendum acceptandum est perpetuum et exclusivum: reapse legimus in citata Nostra *Taurinen.*: « Maxime cavendum est ne confundatur exclusio perpetua prolis cum exclusione boni prolis, et exclusio prolis ad tempus cum exclusione exercitii juris: quamquam enim, uti diximus, exclusio perpetua praesumptionem fundat exclusi juris et temporanea exclusio, exclusi tantum usus seu exercitii: attamen altius, omnibus perpensis, assertae exclusionis exquirenda est natura, ita ut jus ipsum limitari potuerit (et ita matrimonium destrui) prole ad tempus limitata (v. g. si quis contrahat hac conditione ne compars per mensem debitum petere possit, nempe ne per mensem jus habeat ad actus coniugales): et unum juris exercitium excludi, uti superius demonstratum est, prole per totam vitam exclusa ». In hunc sane sensum Summus Pontifex gloriose regnans locutus est de nullitate matrimonii ubi *jus coeundi* limitatum fuerit ad tempora sterilitatis feminae. (cfr. AAS. XLIII (1951), 854). Sed, uti patet, optimis argumentis demonstrandum est, ad mentem eorum quae praefati sumus, jus et non usum juris fuisse per temporaneam limitationem exclusum.

(*Omissis*)

Decisio fertur pro vinculo

VII

coram R. P. D. Pericle Felici, *Ponente*

FLORENTINA

Nullitatis matrimonii

Decisio diei 22 martii 1955

(*Omissis*)

In Iure. - 2. Ex can. 1068 § 1: « Impotentia antecedens et perpetua sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita, sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso iure naturae dirimit ».

Secundum iurisprudentiam canonicam impotentia coeundi afficitur vir qui verum semen efficere et eiaculare non potest, sive quia testiculi sunt plene atrophici, sive quia semen elaboratum a testiculis per interceptionem viarum deferentium eiaculari exterius non potest. Probata tamen efficientia testiculorum et pervietate viarum deferentium, vix obtinet azoospermia, necrospermia, asthenospermia ect. seminis: quae si rite considerantur ad statuendam viri sterilitatem seu impotentiam generandi, minime valent ad constabiliendam impotentiam coeundi. Neque negotium facessit quod non multo antea, accedente auctoritate Summi Pontificis gloriose regnantis, Noster Sacer Ordo admiserit inter adminicula probationis examen spermatis negativum: id enim tantum adminiculum est, quod alias adiuvet probationes pro atrophia testiculorum vel obstructione viarum spermaticarum adductas: per se solum vix quicquam valet tum quia azoospermia pluribus aliis causis, iisque non raro transeuntibus, debetur, tum quia matrimonium, quod est nobilissimus contractus inter marem et feminam, pendere in suo valore non potest ex analysi quadam, licet pluries repetita.

3. Cum in casu adducatur atrophia testiculorum per cryptorchidiam bilateralem provocata: de cryptorchidia de eiusque vi, quoad potentiam coeundi, dicamus, ea potissimum referentes quae dilucide in sua docta peritia exponit peritior Prof. Eleutherius Boganelli.

Dum fetus se evolvit, testiculi sensim descendunt ex abdomine in locum sibi aptum, scilicet in scrotum. Descensio et aptatio in scroto fit communiter momento nativitatis, at non raro fit tardius, nempe primis vitae annis.

Contingit vero aliquando ut ante nativitatem vel unus vel ambo testiculi fixi maneant in loco intermedio sui naturalis itine-

ris: itaque *emigratio* est *incompleta* et habetur *ectopia lumbaris*, *iliaca vel inguinalis* iuxta locum in quo testiculus vel testiculi consistunt: ectopia autem inguinalis trifariam contingit, prout statio fit in orificio inguinali interno, secus canalem, vel in annulo externo.

Si testiculus, in bacinum perveniens, iter inguinale relinquit aliasque persequitur vias, *emigratio* dicitur *aberrans* et habetur *ectopia retrovescicalis* et *ectopia cruralis profunda*, in qua ultima testiculus egreditur e bacino per annulum cruralem.

Denique testiculus sero pervenies ad orificium inguinale externum deflectit aliquando a suo itinere per trauma quoddam vel per pressionem zonae herniariae: itaque quin in scrotum descendat, locum invenit sub pelle regionis propinquioris: inde *ectopiae crurales superficiales*, *cruro-scrotales*, *pubo-penienae anteriores*, *penienae*, *subabdominales*, *perineales*.

Ectopia unilateralis dicitur etiam monorchidia, et ectopia bilateralis, cryptorchidia: at melius loquimur de *cryptorchidia uni* vel *bilaterali*.

4. Quoad vim efficiendi seminis crypotorchidorum censet Seyle (*Trattato di endocrinologia*, Milano 1952, pag. 658) cryptorchidismum arte inductum secum ferre regressionem epitelii seminalis ita ut semen non amplius producatur: causam autem regressionis esse hyperthermiam, nempe maiorem calorem, quo testiculus afficitur. Quoad testiculos a nativitate ectopicos idem auctor tenet cryptorchidiam bilateralem secum ferre necessario sterilitatem.

Iuxta Cagnetto (*Trattato di Anatomia Patologica: App. Gen. Masch.*, pag. 9) cryptorchidi sunt « di solito » tantum hypoplasici et « ipofunzionanti ».

Kaufmann (*Trattato di Anatomia Patologica speciale*, pag. 1285) tenet testiculos ectopicos fieri atrophicos, etsi eorum operatio non cesset penitus: vel melius distinguendum esse inter atrophiam et atrophiam: in casibus minus gravibus testiculum praeseferre canaliculos seminales angustos, cellulas compactas, parietes spissos, permanente tamen aliqua spermatogenesi: in casibus vero gravioribus cellulas sperma efficientes vim sese reproducendi amittere atque sensim tabescere et destrui.

Secundum Patel (*Nouveau précis de Pathologie chirurgicale*, Paris, vol. IV, pag. 703), ectopia testicularis bilateralis eo graviora consectaria habet quo maior est aplasia glandularis. Si glandulae genitales rite evolutae sunt, earum secretio ad normam dici potest: vir est potens, erectione gaudet, at infecundus plerumque est (90%), quia cessat evolutio cellularum seminalium.

Uffreduzzi (*Trattato di patologia chirurgica*, Torino, vol. II, pag. 1116) affirmat haud raro inveniri cryptorchidos etiam bilate-

rales qui semen fecundum efficere et eiaculare valeant, ut etiam demonstrant experimenta facta in regno animali. Ex viginti viris supra triginta quinque annos, quos ille examinavit, duo habebant testiculos ectopicos ita efficientes ut verum semen eiaculare valerent.

In idem B. et M. Sorrentino (*La sterilità coniugale*, Roma 1954, pag. 177).

Quae cum ita sint, nequit plena testiculorum atrophia concludi ex una affirmata et probata cryptorchidia bilaterali: aliae, eaeque certae, adducendae sunt probationes, quibus aestimandis quantum valeat medicorum iudicium nemo sane est quem fugiat (cfr. Null. matr. d. 1 mai 1943 s. Wynen; *Aquisgranen.*, Null. matr. d. 16 iulii 1954 et *S. Christophori de Habana*, Null. matr. d. 23 nov. 1954 c. *Felici*).

(*Omissis*)

Decisio fertur pro nullitate.

TRIBUNAL REGIONALE ETRUSCUM

Coram R. P. D. Aemilio Sanesi, *Ponente*

Nullitatis matrimonii

Sententia primae instantiae

In Nomine Domini. Amen.

Pio XII feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno decimo quinto, die 2 Decembris 1953, RR. PP. DD. Aemilius Sanesi Officialis et Ponens, Horatius Paoletti et Angelus Giorgi Iudices, in Causa nullitatis Matrimonii inter D. A. R. actricem, legitime repraesentatam per procuratorem et patronum D. R. R. advocatum rotalem et D. A. P. virum conventum, interveniente et disceptante in causa R. P. Francisco M. Vittori O. Conv. Defensore Vinculi substituto, hanc tulerunt in prima instantia definitivam sententiam.

1. Facti Species. - A. R., filia, A. natalibus etrusca, humanarum litterarum magistra, cum A. P., filio quondam J., ortu tarentino, iurisconsulto, die 26 Augusti 1939 in paroecia loci « N. N. », pisanae dioeceseos se matrimonio copulavit. Nupturientes proximo ante anno inter se in oppido « Montecatini » noverant; ineunte

anno 1939 inter eos sponsalia locum habuerant. Ob peculiaria tamen illorum temporum adiuncta raro inter se ante nuptias visere potuerant. Post matrimonii celebrationem, statim nuptiale iter arreptum; sed consummatio neque inter nuptiale iter, neque unquam postea, etsi pluries tentata, perfici potuit. Neque ad hoc valuit quod mulier medici chirurgi et una et altera vice operam fuerit experta. Conversatio coniugalis per diversa inquies fuit et crebris scatens litibus: frequenter intermissa quod mulier ad suos revisendos remeabat: diutius coniuges bellica rerum adiuncta diremptos tenuere. Anno 1950 prorsus desita est. Eodem exeunte anno mulier, competenti iudici exhibito libello, matrimonium ob impotentiam saltem relativam ex parte mulieris accusavit. Judicum turnus, decreto E.mi Card. Archiepiscopi Florentini, die 1 Septembris 1951 constitutus, eodem die libellum acceptavit. Die 13 Septembris proxime insequentis contestatio litis habita est et dubii formula ita concordata: « *An constet de nullitate matrimonii in casu ob impotentiam saltem relativam mulieris* ». Nunc sententia prodit.

2. In Iure. - « Impotentia antecedens et perpetua sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita, sive non, sive absoluta, sive relativa, matrimonium ipso naturae iure dirimit ». Can. 1068, par. 1.

3. - Impotentia est incapacitas viri aut mulieris ad coniugalem copulam perficiendam: quae fit per immissionem virgae erectae in vaginam et in eadem per effusionem veri seminis naturali modo peractam: sive semen sit prolificum, sive non sit. Impotentia potest oriri aut ex vitio naturali aut ex vitio accidentali: et hoc sive ex parte maris, sive ex parte foeminae. Est absoluta, si incapacitas copulandi est ex parte mulieris relate ad omnes viros: ex parte viri relate ad omnes mulieres. Est relativa si est ex parte mulieris relate ad illum aut ad illos viros; ex parte viri relate ad illam mulierem aut ad illas mulieres. Ut impotentia impedimentum dirimens constituat, esse debet nuptiis antecedens; et talis quae licitis humanis mediis nec graviter periculosis amoveri non possit: idest perpetua.

4. - In casu de impotentia mulieris agitur, quae saepe per ea phaenomena, quae vaginismus audiunt, se manifestat.

5. - Haec igitur advertenda sunt.

Habetur saepe; in muliere *anaphrodisia;* sed haec, quatenus est mera carentia inclinationis ad sexualia et ideo ad copulam, incapacitatem ad copulam per se non importat, neque inter impedimenta dirimentia potest accenseri. Attamen aliquid semper est abnorme, quatenus carentia appetitus est, qui a natura communiter sive maribus sive foeminus inditur.

6. - Saepe autem coniuncta reperitur — et exinde oritur — cum defectu regularis evolutionis, sive hypoevolutione, genitalium; hinc *hypoplasia*, quae etiam nomine infantilismi venit et quae per se apta est ad minus facilem copulam reddendam et, aliquibus saltem in casibus, prorsus impossibilem.

7. - Vaginismus autem (qui recte distinguendus est a pseudo — vaginismo — qui solam per se difficultatem copulae importat et in quo spasmus musculorum constrictoris cumni et constrictoris ani, qui veri vaginismi proprius est, non habetur) repeti potest tum a fundamento anatomico, tum ex infirmitate nervosa aut congenita aut acquisita (neuropsychasthenia), tum, et frequentius ex utraque recensita causa. Qui tum in primo, tum in altero, tum in tertio casu diversos gradus gravitatis admittit: et aliquibus in casibus potest vel arte medica, vel mediis psychotherapicis — qui cum psychoanaliticis confundendi non sunt — usque ad admittendam copulam modificari; sed aliis in casibus verum et moraliter certum impotentiae casum configurat.

8. - Nam ubi verus vaginismus scatere et gigni scientifice demonstretur e morbidis affectionibus, praesertim si congenitis — et eo magis si una simul somaticis et psychicis — quae prudenti medicorum iudicio, in actuali stadio medicae scientiae, licitis mediis sanari non possunt, apparet quod tum de exsistentia impotentiae, tum de eius perpetuitate dubitari non licet. Quo in casu cum incapacitas perficiendae copulae defluat ex ipsa constitutione psycho-somatica mulieris, manifestum est quod agitur de impotentia non quoad coniugem illum, sed quoad omnes viros: et ideo de impotentia absoluta et non relativa. Et quidem horror seu phobia copulae, quae ad conatum copulae primum perficiendae cum coniuge exsurgit, et in muliere in ideam obsessivam transit, respicit actum ipsum copulae in se, non iam quatenus cum illo viro habenda sit. Etsi qualitates viri vel particulares circumstantiae inter coniuges relativae possint aliquid superaddere incapacitati copulae, iam aliunde exsistenti.

9. - Verum est quod aliqui nervorum morbi ut hysteria, interdum praeter exspectationem cedunt: et copula, quam ipsi impediebant, possibilis evadere potest. Sed observandum est quod ubi artis periti uni tantum vel alteri ex huiuscemodi affectionibus pathologicis incapacitatem copulae attribuunt, iudex pro sua prudentia potest etiam contra peritorum sententiam integrum iudicium sibi reservare; sed ubi complexui morbidarum affectionum attribuunt ex natura sua inter se cohaerescentium et quid unum cum complexione psycho-somatica subiecti efficientium, difficilius videtur posse iudex responsum artis peritorum praeterire aut refellere.

10. - Haec generatim de muliebri impotentia: et, consequenter, etiam de eius perpetuitate.

11. - Quod si particulariter de antecedentia impedimenti disseratur, patet quod causae psycho-somaticae copulam impedientes latere possunt — et pro honesta muliere ita est — usque ad primum experimentum habendae copulae coniugalis. Sed, etiamsi in hac circumstantia primum manifestentur, exsistebant tamen in subiecto iam ante matrimonium; et ideo potentialiter etiam impedimentum iam ante nuptias exsistebat.

12. In Facto. - Extra omne dubium est quod matrimonium, de quo agitur, neque hinc neque illinc illis animorum dispositionibus volitum atque initum est, quae ad consummationem faciliorem reddendam aptiores essent.

Non matrimonium amoris neque a parte mulieris neque a parte viri, sed intuitu ab utraque parte alicuius utilitatis consequendae pensatum atque volitum.

13. - Actrix quoad sponsalia: « Il fidanzamento fu libero, non di amore ». N. 4, p. 20. Et quoad matrimonium: « Nulla di amore da parte mia ». N. 6, p. 21. In libello autem, postquam praefata est ob peculiaria rei communis adiuncta suas oeconomicas condiciones precarias fuisse factas, addit: « La mia situazione mi apparve tragica. Vedevo crollare ad un tratto tutto il frutto di inenarrabili sacrifici e fatiche e fui presa da un grande scoraggiamento. Pertanto la proposta del P. mi sembrò un'ancora di salvezza ». P. 1.

14. - Nec minus aperte vir conventus: « Più che fidanzamento d'amore fu per una esigenza di sistemazione, sia per l'età (quam vir conventus agebat) che per le disposizioni allora vigenti sul celibato, per cui il governo fascista imponeva il matrimonio per la carriera ». N. 4, p. 75.

15. - Et quidem matrimonium hinc et inde volitum atque initum fuit, ea iam transacta aetate, qua naturali cupiditate ad matrimonium et ad sexualem copulam nupturientes instantius urgentur. Actrix trigesimum septimum agebat; vir conventus quadragesimum primum.

16. - Huc aliae circumstantiae accedebant quae — a ceteris praescindendo — coniugali perficiendae copulae minus faverent. In ipso nuptiarum pervigilio actrix ipsa, ita ea fatente, cum in viro repperisset indolem difficilem et cum sua non cohaerescentem, voluisset a matrimonio contrahendo recedere: quod tamen ob iteratas familiarium instantias non peregit. Vix autem nuptiale iter ingressis « avvenne fra di noi un dissapore assai profondo ». Actrix, n. 8, p. 21. Primum copuae tentamen, prima nuptiarum nocte,

effectum non bene cessit. Neque illa vice, neque in conatibus, qui primum consecuti sunt, neque unquam alias consummatio contenditur locum habuisse.

17. - Haec dicta sint ut omnia elementa causae in sua luce ponantur. Circumstantiae tamen, proxime superius allatae, quae quid relativum inter coniuges important et referunt, non maioris ponderis aestimandae sunt, quam ipsae merent. Non evenit quod mulier, aversione contra virum concepta, debito reddendo se recusaverit: immo, cum bene novisset se aliquo anatomico vitio affectam esse, quod consummationi obstaret, inspectioni gynecologicae se subiecit et duplicem hymenis incisionem passa est: « Il Prof. F. mi ha inciso due volte. Tali incisioni furono da me richieste per facilitare la consumazione del matrimonio. Anzi faccio osservare che subito dopo il viaggio di nozze, insieme a mio marito, per volontà comune mi recai dal Dott. in Firenze, che mi visitò e concluse che l'imene era intatto e consigliò un intervento chirurgico. L'intervento fu poi praticato due volte dal Prof. F. ». Actrix, n. 10, p. 22. Sed chirurgi opera incassum cessit: « Anche dopo la duplice incisione dell'imene furono ripetuti da mio marito i tentativi di consumazione, ma io sentivo male ed egli non è mai riuscito a penetrare. Provavo lo stesso dolore come prima dell'incisione dell'imene, la consumazione del matrimonio non è mai avvenuta, e quindi il matrimonio è inconsumato... So di essere affetta da vaginismo in grado notevole ed infantilismo degli organi sessuali ». Actrix., n. 11, p. 23.

18. - Neque ab actrice discrepat depositio viri conventi: « Il matrimonio non fu consumato, perchè la R. non aveva gli organi genitali adatti; tanto è vero che al rientro dal viaggio di nozze insieme ci recammo da un professore, mi pare G. a Firenze, il quale asserì che la R. aveva gli organi genitali infantili ed inadatti al coito ». Conventus n. 8, p. 77. Et addit quod ubi conatus consummationis perficiebantur, exitu carebant: « anche perchè prima dell'amplesso, lei soffriva psicopaticamente uno stato di ripugnanza ». Vir conventus, N. 9, p.

19. - « Dopo le incisioni imenali ho tentato per una volta sola di consumare il matrimonio, senza riuscirvi. Non sono riuscito per gli organi genitali di mia moglie, dichiarati infantili; e quindi è dipeso da lei se la consumazione non si è verificata ». Conventus n. 11, p. 78.

20. - Haec testes confirmant inconsummationem referentes, non ad particularia motiva, quae relativa sint ad copulationem illius mulieris cum illo viro, sed unice vel fere unice ad incapacitatem copulandi a parte actricis ob eiusdem vitium anatomicum aut physiologicum. Ut a sequentibus clare eruitur: « Della non avvenuta

consumazione essa (actrix) ha dato la colpa a sè stessa *per una sua imperfezione fisica* ». M. S. n. 10, p. 43. « Certamente il matrimonio non è stato consumato... Questo è avvenuto perchè *mia figlia era difettosa* ». M. S. R., N. 11, p. 31. « A me mia sorella ha sempre detto fino ad oggi che il matrimonio non è stato consumato, perchè da parte della L. *c'era incapacità fisiologica*, aggravata da condizioni psicologiche ». L. R., n. 9, p. 68. « Dalle confidenze fattemi da mia cognata nei primi mesi del matrimonio, riguardanti la sua *impossibilità fisica* al coito, penso che il matrimonio non sia stato consumato ». C. P. N. 9, p. 93. Haec satis sunt.

21. - Hinc satis intelligitur quod matrimonium accusatum sit ex capite impotentiae a parte mulieris.

22. - Quae ad petitionem, libello contentam, vallandam trium medicorum instrumenta libello allegavit:

a) Medicus N. G. qui mulierem, ut superius, gynecologice inspexit, repperit « che il matrimonio non era stato consumato ». Pag. 13. Et ad amovendum consummationi obstaculum consilium dedit ad chirurgicum interventum recurrendi. Auditus in iudicio eadem confirmavit.

b) D. E. F. Moderatur Scholae Obstetriciae Tergestinae, testificatur se mulierem inspexisse et ob incapacitatem eiusdem ad consummandum, duas incisiones in hymene mulieris peregisse. Pag. 14 Haec in iudicio confirmavit addens: « Si può aggiungere che *molto probabilmente* anche in seguito ci sia stata impossibilità di coito per fatti sclerotici susseguenti all'intervento operatorio ». N. 9, p. 98. Hinc videtur concludi posse quod praefatas incisiones, ut extremum conamen ad perficiendam copulam, a gynecologo peractas fuisse; non tamen cum fundata spe obstaculum ad consummationem reapse amovendi.

c) Adest etiam scripta attestatio M. G. Obstetrico - gynecologi, qui proxime ante introductionem causae mulierem inspexit et conclusit: « *Ipoplasia degli organi genitali. Vaginismo in grado notevole.* Qui in orali examine ita: « *Ritengo che il Vaginismo in grado notevole da me riscontrato in detta Signora, avesse una base almeno in parte congenita* ». N. 5, p. 54. Ex officio autem rogatus: « Non mi tengo autorizzato a concludere che detta signora sia incapace alla copula con qualunque altro uomo ». N. 5, p. 53; inemendabilem impotentiam asserens quatenus relativam ad illum virum. Sed; si relata eius verba attente pensentur, characterem absolutum impotentiae neque admittunt, neque excludunt.

23. - Quod certum eruitur ex hisce medicorum tum attestationibus tum depositionibus hoc est: quod periti a muliere consulti fundamentalem causam impossibilitatis a parte eiusdem perficiendae copulae, fuisse illius anatomicum vel physiologicum vitium

tenuere. Per se autem patet quod, datis circumstantiis et fine, in quibus et pro quo illorum opera quaerebatur, artis periti neque subiecti neque casus examen ita plenum et perfectum peragere potuerunt, ut pathologicae affectionis causae et proximae et remotae essent undequaque perspectae et exploratae.

24. - Hoc fuit et debuit esse officium iudicialium artis peritorum.

25. - In casu tribus peritis peritia cum inspectione mulieris facienda commissa est, cum aliquae discrepantiae inter duos priores repertae essent.

26. - I. Peritia D. A. P. P. Professoris Pathologiae Chirurgicae in Universitate Studiorum Florentina, non ita undequaque plena apparet, maxime si cum ceteris comparetur, neque pathologicas assertae impotentiae causas altius indagavisse. Admittit tamen pathologicas affectiones in muliere exsistere, impossibilem actualiter copulam efficientes: inter quas praecipuam *hyperaesthesiam* genitalium externorum; quae exploranti medico patuit « nel dolore vivo al più blando tentativo di introduzione in vagina anche del dito esploratore di calibro notevolmente inferiore al membro virile in stato di erezione ». Pag. 129. Et immisso tamen digito, repperit « evidenti reazioni e dolore con agitazione generale ». Pag. 129. Sed de vitio anatomico, cum quo in casu hyperaesthesia connexionem immediatam habet, nempe de genitalium hypoplasia, hoc tantum: « Piccolo labbra scarsamente sviluppate ». Pag. 128. Conclusit tamen pro « impotenza relativa della moglie rispetto al marito ». N. 4, p. 132.

27. - Quoad antecedentiam incertum se praebet, sed ad credendum inclinat « che i disturbi della signora in oggetto: preesistessero al matrimonio e fossero da esso solo rivelati ». Pag. 130.

28. - Affirmat se certis scientiae argumentis respondere non posse de perpetuitate aut non perpetuitate impedimenti. Sed in orali examine clarius suam mentem illustrat, « *Impotenza*, che ripeto, *è attuale* ed in *via assoluta* non è da escludersi che possa in futuro modificarsi. In *via assoluta*, perchè se si scende al caso delle probabilità, la cosa è diversa, *cioè immodificabile* Q. N. 4, p. 132. Et ad totam suam depositionem se referens: « Questo affermo non con certezza categorica, che la scienza in questi casi raramente consente, ma con certezza morale ». N. 7, p. 133.

29. - Sed neque iudex quaerit certitudinem absolutam sive categoricam — quae nempe excludat omnem possibilitatem contrarii, quae in humanis rarissime attingi potest — sed moralem, quae prudenti iudicio et solidis argumentis, iuxta communiter contingentia, contrarium excludit.

30. - Quocirca fatendum est quod, etsi aliqua in peritia et in examine periti reperiantur, quae thesi impotentiae faveant, non

videntur tamen nec tali rationum firmitate innixa, neque principiis scientiae enucleata, neque sufficientia ut tuto possint in favorem thesis impotentiae movere.

31. - II. Alter peritus iudicialis V. C., Moderator Instituti Medicinae Legalis in Universitate Studiorum Florentina, in pathologicis subiecti phaenomenis eorumque causis investigandis profundior fuit. Qui a somatica inspectione subiecti repperit: « Forma infantile delle grandi labbra, piccolezze delle ninfe, *ipoplasia vaginale*... Questa condizione organica, mentre *può rappresentare un ostacolo meccanico al congiungimento*, per la sproporzione delle parti maschili normalmente sviluppate con quelle abnormemente piccole della donna, è anche generalmente *associata a una ipoevoluzione dell'istinto sessuale*, con la conseguenza che il soggetto *oltre che materialmente inetto* non avverte neppure l'impulso psicologico ed istintivo (*anaphrodisia*) all'effettuazione di un atto già di per sè reso difficile o addirittura impossibile da circostanze di carattere anatomico. Nel caso poi la signora ha parlato di *repulsione fisica e spirituale insieme*, e i testi (in più luoghi del fascicolo) accennano alla inclinazione della signora, orientata esclusivamente verso lo studio o il lavoro, fatto non del tutto normale in una donna, e tanto più se sposata, il cui scopo di vita è naturalmente orientato verso la maternità. Proprio questi fatti adunque recano valido suffragio all'ipotesi che accanto alla *anomalia anatomica* (per difetto) sussista nel caso anche un *difetto di inclinazione psicologica ed istintiva* all'atto sessuale; l'una e l'altra condizione essendo fra loro collegate nel senso di *sindrome ipoevolutiva congenita* ». Pagg. 116-117.

32. - Sed hoc vitium anatomicum (hypoplasia) et haec carentia inclinationis ad sexualia non per se sola perpendenda sunt, sed quatenus comitata illis morbidae sensibilitatis manifestationibus ceterisque signis et indiciis, quae scientia medica ut propria veri vaginismi tenet. De vero vaginismo agi in casu — non de pseudovaginismo, qui tenuari aut vinci ope medica interdum potest — testificatur iudicialis peritus: « Rilevai infatti *iperestesia vivacissima* della mucosa vulvo-vaginale, con reazione costrittiva intensa *locale* (musculorum nempe constrictoris cumni: spasmus) *e con grave reazione generale psicosomatica* del soggetto. Si è dunque in presenza di una donna (si tratta generalmente di soggetti nevrosici) nella quale *ai sintomi puri del vaginismo periferico* (iperestesia dolorifica, reazione costrittiva muscolare vaginale) *si aggiunge il quadro conclamato dei sintomi collaterali di resistenza somatica*, con in più *una sindrome psichica di angoscia*, *scatenantesi come reazione diretta al dolore locale*, *ma anche come espressione di superstruttura psicogena senz'altro anormale*. Ora mi ritengo sen-

z'altro autorizzato a concludere che già *il quadro gravissimo di vaginismo* è sufficiente a fare ritenere non effettuato e *non effettuabile* il congiungimento carnale da parte della signora; ma che inoltre *alla causa di impotenza locale si associa un momento ostativo psicogeno*, del quale vari elementi desumibili del documentario di causa indicano *l'estrema gravità* ». Pag. 118. Ad quae demonstranda peritus adducit etiam obstaculum a muliere totis viribus oppositum inspectioni gynecologicae: ita ut haec solummodo partialis, sufficiens tamen ad concludendum fuerit. Et hoc quamquam cautissime, ut debuit, peracta fuerit et pro qua, ut opportune ipse peritus adnotat « ogni ragionevolezza consigliava la signora stessa a sottoporsi tranquilla alla visita, strumento indispensabile di accertamento allo scopo da lei ricercato con la presente causa ». Pag. 118. Hinc logice concludi posse videtur quod non a causis mere somaticis, non a mere psychicis, sed hinc et illinc causis exsistentibus, quas superare actrix impar erat, resistentiam inspectioni processisse. Et si ita tantum pro gynecologica inspectione, recte arguitur quam vehementior in conatibus copulae resistentia mulieris esse debuerit! Et inde exortus in primo cum viro contactu horror seu phobia copulae.

33. - Censemus igitur iudicialem peritum recte concludere pro impotentia et eadem absoluta, cum causae somatico-psychicae copulam impedientes per se in subiecto exsistant quin ulla habeatur relatio ad illum virum. Intelligitur quidem, quod dissociatione inter coniuges animorum exsistente, conatus copulae, qui inaniter cessere, ulterius exacerbaverint morbidas mulieres affectiones, copulam impedientes: sed admitti non potest quod huiuscemodi dissociatio et irriti conatus incapacitatem copulandi ipsi pepererint: « Il congiungimento stante le condizioni anatomiche della signora sarebbe stato impossibile perfino con un'altra persona che avesse consentito lo svolgersi delle cose in regime affettivo di assoluta tranquillità o addirittura di trasporto ». P. 119. Et adhuc: « Nel caso in esame *il vaginismo è di tale grado che in base ai correnti criteri prognostici, la possibilità della copula da parte della perizianda è da escludere nei riguardi di qualunque altro uomo* ». N 5, p. 125.

34. - Quoad antecedentiam probatio scatet ex iam allatis. Cum de congenitis somaticis et psychicis affectionibus agatur, impedimentum necessario patere debebat ad primam accessionem viri ad mulierem, sed « era in atto nelle sue cause fino da epoca anteriore al matrimonio »; ut a natura repetendus erat « lo stato nevrosico della signora, cui si debbono le crisi di *pavor* e di resistenza esasperata al congiungimento ». Pag. 121.

35. - Quoad perpetuitatem: « E pure affermativamente credo di dover rispondere circa la perpetuità dell'impotenza. Nel caso trattasi infatti di una forma di *vaginismo vero*, ritenuto inguaribile (sono suscettibili di miglioramenti terapeutici ed anche di completa risoluzione le forme così dette di pseudo-vaginismo) e per giunta resosi evidente in *aggiunta ad anomalie anatomiche certamente non emendabili* ». Pag. 121. Omnibus inspectis peritus excludit quod « la forma di vaginismo presentata dalla signora sia suscettibile di attenuazione e tanto meno di risoluzione: essa pertanto deve ritenersi perpetua ». N. 6, p. 125.

36. - III. Peritior, qui fuit J. M., clarus doctor obstetriciae et gynecologiae in Universitate Studiorum Florentina, superioris periti conclusiones, non modo admisit, sed exquisitis etiam et subtilioribus artis medicae argumentis explicuit et solidavit: in hoc maxime insistens — quod principium totam eius peritiam informat — tum sexualium mulieris anatomica vitia, tum psychicarum affectionum abnormitatem aliquid unum pathologicum et individuum efficere, quod profluit et gignitur aut ex ipsa subiecti natura (congenitum) aut saltem e pathologicis causis e prima aetate in subiectum efficaciter influentibus et regularem subiecti evolutionem psycho-somaticam impedientibus.

37. - Ipsa sexualium mulieris hypoplasia, quae « è quella che sopratutto domina nel quadro patologico offertoci dalla signora ». (Pag. 143) repeti debet, iuxta peritioris sententiam « da insufficienza della *funzione ormonica* delle ovaie e probabilmente da uno scarso influsso gonodotropo della ipofisi ». Pag. 143. Hae causae quae anatomice hypoplasiam genuerunt, functionaliter alias sexualitatis irregularitates produxerunt, quae peritiori ex anamnesi patuerunt: « ritardo nella pubertà, ipomenorrea, etc. Pag. 144.

38. - Obstaculum ad copulam non unice reperiendum erat in nimia arctitudine foraminis hymenealis et rigiditate hymenis: si ita fuisset duplex hymenis incisio a chirurgo peracta, obstaculum amovisset et copula intercessisset. Quod utraque pars negat et negatio cunctis elementis causae vallatur. Sed neque hypoplasiam per se solam peritior asserit exsistere potuisse in casu impedimentum ad copulam *immodificabile*, nisi ad defectum anatomicum aliae causae accessisent: « *Altri fattori ben più importanti di ordine psicho-affettivo* che, come l'ipoplasia, traggono origine dalla deficiente funzione gonado-ipofisaria, verificatasi nelle prime fasi del suo sviluppo, per cause difficilmente scrutabili: *fattori certo che sono entrati a far parte della sua costituzione e della sua personalità psichica* ». Pag. 144. Hoc argumentum ut praecipuum et fundamentale in tota peritia recurrit. E pathologica enim functionalitate « ovaiae », per ea, quae communiter « ormoni » dicuntur, peri-

tior non modo derivat anatomica vitia quae in subiecto reperiuntur, sed etiam eas abnormitates subiecti psycho-affectivas, quae ad sexualem vitam referuntur. Hoc ut artis medicae principium: quod in casu tum ob reperta somaticae inspectionis, tum ex anamnesi motiva sufficientia tenet se habere actricis casui applicandi. « L'ovaia a mezzo della sua attività ormonica esercita una *funzione equilibratrice* sullo stato psichico della donna, perciò è raro che una disovarica non presenti in questo caso disordini più o meno gravi, più o meno manifesti che *per lo più insorgono solo con l'inizio della vita sessuale ed anche dopo il matrimonio.* Tali disordini interessano di preferenza *la sensibilità e l'affettività, il carattere, i sentimenti, gli istinti e fra quelli di preferenza l'istinto genetico e sessuale* ». Pag. 145.

39. - Hinc, ut ceteri periti, hyperaesthesiam adnotavit, propriis phaenomenis extremae gravitatis in casu se manifestantem: « Nella nostra perizianda esiste una abnorme sensibilità a livello dei genitali esterni e della vagina... E' una vera zona algica: fatto che si riscontra non di rado nelle ipoplasiche. Il dolore, che ella risente, determina la sua ribellione all'introduzione di un corpo estraneo di qualsiasi natura e volume nell'interno dei suoi genitali *e si difende con una spasmodica contrazione muscolare riflessa che investe specialmente gli adduttori delle cosce e tutti i muscoli del perineo e della vagina.* E' questa contrattura che rende pressochè impervio al dito esploratore l'introito vaginale e la vagina: *è questo che costituisce il vero ostacolo al coito, che noi definiamo col termine di vaginismo psichico* ». pag. 145. Exinde ob mentis suggestionem in subiecto imago inhibitoria et obsessiva contra copulam, quae ad accessionem mere tentatam viri - et quandoque a muliere simpliciter imaginatione repraesentatam — transit in horrorem seu phobiam copulae.

40. - Proinde peritior, opinionem neque medici M. G. recensere omittens, qui pro impotentia sed non absoluta conclusit; neque iudicialis periti Prof. A. P. P., qui incertum de absoluta impotentia se praebuit, ad sententiam alterius iudicialis periti accessit, et firme et decise *pro impotentia absoluta* se declaravit: quatenus causae pathogenicae impotentiae coeundi in casu in ipsa muliere, vel potius in eius somatico — psychica constitutione exsistant, quin ullam dependentiam aut relationem habeant a viro aut ad virum, cum quo copula habenda sit.

41. - Haec quidem logice conclusa censemus.

42. - Quod dispositio animorum inter coniuges in casu non favorabilis fuerit ad consummationem matrimonii, iam superius innuimus, et certum est. Sed hoc tantum aliquid difficultatis su-

peraddit incapacitati ad perficiendam copulam in muliere e causis somatico — psychicis sive endogenis praeexistenti, qua ipsa neque cum illo viro neque cum alio copulari poterat.

43. - De antecedentia impedimenti peritior nullum dubium habet, quatenus prima impedimenti origo ita repetenda est: « Al primo anello della catena sta un difetto di funzione endocrina (insufficienza gonado-ipofisaria) manifestatosi *fino dai primi anni di vita* col deficiente sviluppo somatico generale in un primo tempo e di poi con la ipoplasia dell'apparato genitale ». Pag. 156. Hinc de ceteris pathologicis effectibus inde provenientibus, et maxime hypo-evolutionem sexualem subiecti comitantibus: «Ipoplasia genitale, ipoovarismo, anafrodisia, iperestesia generale costituiscono *quel complesso di cause, da cui scaturisce la nevrosi*, di cui il vaginismo è l'espressione clinica, queste cause sono *senza dubio anteriori al matrimonio* ». pag. 157.

44. - Ast etiam de perpetuitate impedimenti peritior certum se tenet, quatenus eiusdem causae: « *risalgono ai primi albori della vita e forse* (sono) *anche congenite* e sono entrate a far parte intima della costituzione psichica della donna, portandola alla nevrosi isterica, cioè ad una forma di tipo degenerativo ed involutivo ». Pap. 157. Admittit quod in prima iuventute fortasse — sed non certo — curationibus psychotherapicis et ormonicis, potuissent in melius modificari, non in adulta aetate. « Oggi è troppo tardi; nè cure mediche, nè chirurgiche, nè psicoterapiche varrebbero a nulla ». Pag. 157. Hodie, asserit peritus; sed condicionem ad utilem effectum consequendum posuit quod « nella sua prima giovinezza » therapia illa fuerit applicata: sed mulier, ut iam notum est, superadulta aetate nupsit.

45. - Neque conclusionibus de perpetuitate credimus obstare quod de nevrosi hysterica agitur et communiter in iurisprudentia canonica tenetur quod pathologicae nervorum manifestationes parum attendendae sunt, quod saepe praeter exspectationem cedant. Sed censemus hoc principium, quod per se veritati respondet, recte esse interpetrandum. Singuli enim casus singulariter expendendi sunt: quatenus, etsi omnes vaginismi psychici nomine veniant, neque omnes eamdem gravitatem ostendunt, neque iisdem, sive numero sive qualitate aut somaticis aut psychicis affectionibus comitantur, neque eamdem referunt originem. Ubi nevrosis scatet et gignitur aut ex vitio congenito aut in primo evolutionis psycho — somaticae stadio adquisito adeo ut in subiecto fere connaturatum sit, censemus opinionem quod nevrosis — cuius vaginismus psychicus est extrinseca manifestatio — cedat aut cedere possit, rationabili positivo fundamento esse destitutam, et ideo sustineri non

posse. Hoc quidem intendimus non de quocumque gradu pathologicae affectionis, sed ubi de extrema eiusdem gravitate e probationibus iuridicae investigationi acquisitis, et maxime et in primis e repertis et iudiciis peritorum morali certitudine constet. Quamobrem — tota indiciorum et causarum complexione aestimata et perspecta — de perpetuitate aut non perpetuitate vaginismi erit dignoscendum.

Hisce omnibus in iure et in facto perspectis; Nos infrascripti iudices, pro tribunali sedentes, et solum Deum pro oculis habentes, Christi Nomine invocato, decernimus, declaramus, ac definitive sententiamus, ad propositum dubium:

An constet de nullitate matrimonii in casu ob impotentiam saltem relativam mulieris.

respondentes:

Affirmative, nempe: *Constare de nullitate matrimonii in casu ob impotentiam absolutam mulieris.*

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum, et ministris tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant, illis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis opportuna et efficacia pro rerum adiunctis exstitura sint.

Datum Florentiae, in Aula Nostri Tribunalis, die 2 Decembris 1953.

F.to Aemilius Sanesi Officialis et Ponens
» D. Horatius Paoletti Judex
» D. Angelus Giorgi Judex
» Sac. Franciscus Colotito Notarius

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

DE FORMA EXTRAORDINARIA CELEBRATIONIS MATRIMONII CASUS SINGULARES

1. R. P. Bender in hac ipsa ephemeride (*Monitor Ecclesiasticus*, 1955, fasc. I, p. 106) casum quemdam applicationis can. 1098 ex ephemeride *L'Ami du Clergé* (1954, p. 623) resumit, quem ita exponit: Missionarius cui commissae sunt decem quasi-paroeciae valde distantes, vix potest in earum qualibet adesse per unum mensem singulis annis. Contingit autem ut aliqui catholici, durante illius absentia, contrahant matrimonium civile (scilicet, secundum exigentias Codicis civilis gallici, qui eo in loco viget) cum intentione adimplendi *solas formalitates* civiles, et parati ad contrahendum matrimonium canonicum cum missionarius primo praesens in pago fuerit. Verum quaedam ex his matrimoniis civiliter sic contractis, post paucos menses et antequam coram Ecclesia celebrarentur, disrupta sunt: civiliter autem coniuncti quaerunt canonice contrahere cum aliis personis. Dubium ortum est an matrimonium civiliter eo modo contractum, in vim canonis 1098 validum coram Ecclesia teneri debeat.

Recte equidem cl. P. Bender ad casus solutionem quaerit, utrum verificatae sint *conditiones obiectivae* quae necessariae sunt ad applicationem canonis 1098 necne, et in specie de loco, in quo missionarius commoratur, aut alius sacerdos, (vr. gr. missionarius qui in alio districtu est vice-paroeciae vicinae rector), ita ut illi sint in tali distantia a loco ubi nupturientes degunt, quod sine gravi incommodo eum adire nequeant.

In alio, quem novimus casum, nupturientes proprio marte iudicaverant hoc grave incommodum adesse et sic matrimonium civile contrahere statuerant, dein accedente ad locum missionario proprio matrimonium canonicum contracturi.

2. Quod illi nupturientes proprio marte egerint, in mentem nostram revocat alios casus, qui in nostris partibus contingunt, quique frequentiores cotidie fiunt. In quibus nupturientes ipsi, pro applicatione canonis 1098 sese erigentes in iudices et aestimatores gravis incommodi parochum vel Ordinarium vel sacerdotem delegatum adeundi, matrimonia, inscio parocho vel ordinario, aut contra eorumdem iudicium, aut praetermissa illorum prohibitione taliter matrimonium celebrandi, coram solis testibus aliquando ineunt.

Plerumque grave incommodum, de quo in dictis casibus, ex

lege civili oritur, quae iubet actum civilem ante matrimonium canonicum sub gravi poena iniri debere. Quod quidem in praxi non levia incommoda pro nupturientibus affert. Nam qui nolunt aut non possunt matrimonium civile cum determinata persona contrahere, vr. gr. quia obstat matrimonium civile alterutrius vel utriusque cum tertiis personis, matrimonium canonicum in forma ordinaria seu cum publicitate contrahere nequibunt, quin poenas legis et alia etiam graviora incommoda determinent. Hinc appellatio ad formam extraordinariam canonis 1098, seu ad celebrationem quam dicere solent secretam matrimonii.

Exempli gratia: Petrus et Maria, ambo catholici, matrimonium civile contraxerunt. Nullo facto divortio, solum de facto se separaverunt. Petrus matrimonium canonicum cum alia muliere, nempe Antonia, contrahere vellet. Inter Petrum et Antoniam nullum existit impedimentum canonicum et uterque verum matrimonium coram Deo inire contendit, effectibus civilibus novi matrimonii renuntiare parati. Petiverunt itaque ab Ordinario loci matrimonium canonice celebrare sed *secretum*. At Ordinarius post maturam casus considerationem, licentiam matrimonium secretum faciendi denegavit. Petrus divortium civile cum Maria obtinere nequire aestimavit, eo quod Maria divortio non consensura censebatur, et talibus in adiunctis divortium civile Petrus habere non posset, nisi post longum tempus et graves expensas, quae ipse sustinere non valere ait. Putans se in casu versari canonis 1098, proprio marte matrimonium cum Antonia coram solis testibus celebravit.

Ad plurima et gravia mala vitanda matrimoniis canonicis sine effectibus civilibus celebratis, Ecclesia praecepit solemnia civilia non esse omittenda. Ordinarii in locis ubi id necessarium est, praeceptum urgent atque adeo matrimonii civilis celebrationem exigere solent. Plerique nupturientes nunc tale praeceptum observare restiterunt, et cum aestiment se ad matrimonium ius habere, putaverunt his in adiunctis canonem 1098 valere, atque, Ordinarii praecepto praetermisso, matrimonium ad eius canonis formam contrahere posse.

Adde illos antiquos casus, qui in adiunctis hodiernis adhuc graviores fieri reputantur, atque adeo perseverant: nempe, quando ex novis matrimoniis contractis mulieres viduae pensiones amittunt ab Statu ob maritum in bello occisum eis concessas: quod illis grave incommodum videtur, quodque vitare posse autumant celebratione matrimonii in forma canonis 1098.

His casibus et aliis, denuo repristinata est quaestio de applicatione canonis 1098, quando grave incommodum gignitur ex legibus civilibus derivatum. Ideoque disputatur utrum matrimonia secun-

dum formam illius canonis in praedictis adiunctis celebrata, valida sint necne.

Ut iterum materia retractetur visum est statim sequentes proponere:

QUAESTIONES DOCTRINALES

I. De absentia in canone 1098 considerata sub verbis: « si haberi vel adiri nequeat parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam cc. 1095, 1096 ».

II. Quid veniat sub verbis: « grave incommodum ».

III. A quo debeat incommodi gravitatem aestimari.

IV. An ad valide matrimonium iuxta canonem 1098 contrahendum necessarius semper sit recursus ad Ordinarium vel parochum.

V. An prohibitio Ordinarii iuxta canonem 1098 in determinato casu contrahendi, secum ferat matrimonii nullitatem.

I. DE ABSENTIA IN CANONE 1098 CONSIDERATA

4. Pont. Commissio Codicis Interpretum, die 10 martii 1928 edixit: « An hic canon (can. 1098) ita intelligendus sit, ut referatur tantum ad physicam parochi vel Ordinarii loci absentiam. Resp. AFFIRMATIVE » (*A.A.S.*, 20 [1928] 120).

Sensus huius resolutionis diversimode explicatus fuit. Auctores tunc temporis dissentiebant circa famosam quaestionem in hunc modum. Post publicatum nempe Codicem i. c., antiqua quaestio iterum facta est: an secundum canonem 1098 matrimonium valide contrahi posset in casu quo parochus assistentiam nupturientibus negaret ratione poenarum per legem civilem infligendarum antequam praemissa sit coerimonia civilis, quae expleri nequit. Haec quaestio ab auctoribus quibusdam solvebatur affirmative, ab aliis negative, quorum elenchum vide apud MAROTO PH. in *Apollinaris*, I, p. 338, n. 1, et DE SMET, *De sponsalibus et matrimonio* ed. 4ª n. 137 s.

Inter negativam tenentes sententiam eminebat VIDAL, qui in editione Patris Wernz (ed. 2ª, 1928), n. 548, nota 72, insistebat fortiter in periculis benignioris sententiae. Omnes docebant Decretum S. Congr. de Sacramentis diei 31 ianuarii 1916 (cfr. postea nn. 14, 21) recursum ad S. Sedem imponens in quolibet casu extra mortis periculum, servandum quidem esse. Sed si tempus recurrendi ad S. Sedem non suppetebat, vel, si, quavis ratione, praetermisso recursu, matrimonium coram solis testibus celebrabatur, quidam auctores illud validum esse dicebant, alii vero matrimonii nullitatem decernebant. Porro Pontificia Commissio quaestioni,

etsi explicitis verbis non propositae, implicite respondere videbatur, prout supra: i. e. canon 1098 referendus est *tantum* ad *physicam* parochi vel Ordinarii loci *absentiam*, ad unum casum nempe in quo parochus vel Ordinarius loci vel saltem alterutrius delegatus ob impedimentum *physice* aut *immediate* obstans ipsius praesentiae « haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo ».

5. Iterum Pontificia Commissio, die 25 iulii 1931, quaesita fuit: « An ad *physicam* parochi vel Ordinarii absentiam de qua in interpretatione diei 10 Martii 1928 ad canonem 1098, referendus sit etiam casus, quo parochus vel Ordinarius, licet materialiter praesens *in loco*, ob grave tamen incommodum celebrationi matrimonii assistere nequeat requirens et excipiens contrahentium consensum ». « R. AFFIRMATIVE » (*A.A.S.*, 23 [1931] 388).

Casus in quaesito propositus supponebat parochum vel Ordinarium esse praesentem *in loco* seu in urbe, in pago, in regione etc. ubi matrimonium celebratur, sed ob grave incommodum illum « haberi nequire » in ipsa celebratione matrimonii. Seu quod idem est: Ordinarius, parochus vel sacerdos delegatus supponebatur haberi nequire « coram » (cfr. can. 1094) in celebratione matrimonii velut testis qualificatus (ut dicitur), sicut exigitur in ordinaria celebratione matrimonii « requirens et excipiens contrahentium consensum ».

In Responso equidem non dicitur de quo gravi incommodo agatur; verum in contextu intelligitur agi de illo gravi incommodo quod praesentiam parochi impedit in ipsa celebratione matrimonii, vel impedit eius assistentiam *celebrationi* matrimonii.

In explicatione huius Responsi fuerunt qui asserere videbantur, naturam gravi incommodi *ordinis physici* esse debere, ut ita conciliarent praesens Responsum cum praecedente. Ita sensisse videtur cl. MAROTO (*Apollinaris*, 1931, p. 381), saltem si exemplis stemus ab illo traditis: vr. gr. periculum contagionis vel morbi incurrendi, rigidior aeris intemperies praesertim noctu, gravis perturbatio publica in loco unde periculum mortis vel laesionis corporalis formidaretur, aliorum resistentia qui vim inferrent ad impediendam praesentiam vel exercitium muneris sacerdotis, praesertim si accederet manuum iniectio, gravis iniuria etc. « Haec, aiebat MAROTO, vel similia non ad *moralem* sed ad *physicam* absentiam sunt referenda, utpote quae in *causis physicis* consistunt ».

Re quidem vera in Responso non est quaestio de causis physicis absentiae, vel de incommodis ordinis physici qui causant absentiam, sed de *ipsa absentia physica* ob causas vel incommoda gravia cuiuslibet generis, i. e. *de absentia physica parochi* in ipsa celebratione matrimonii. Et ita ceteri auctores alia quoque exempla

adduxerunt eorum quae ad absentiam physicam referri oportebat ob incommoda, quae proveniebant non solum ex causis physicis sed etiam moralibus. Ex. gr. si parochus matrimonio assistere nequibat quia a lege civili minitatus poena gravissima si assisteret. Sic erat, ait SARTORI (*Enchiridion canonicum*, ed. 9ª, p. 226), in Mexico ante paucos annos, ubi morti damnabantur et parochus et ipsi sponsi propter religiosam matrimonii celebrationem. Evidens est in eo casu verificari conditionem canonis 1098: « si *haberi* vel adiri nequit sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos qui matrimonio assistant ad normam canonum 1095, 1096 ».

6. Responsio igitur Pontificiae Commissionis anni 1931 dici poterat concepta contra eos auctores qui rigide sentiebant in applicatione canonis 1098. Et quamvis isti inter eam Responsionem et praecedentem (anni 1928) contrarietatem haberi autumabant, alii, inter quos ipse Praeses Commissionis E.mus Gasparri, omnem contrarietatem eliminabant, dummodo *rite* haec ultima intelligeretur. Ait GASPARRI (*De matrimonio*, ed. 1932, II, p. 141, n. 1017): « Grave incommodum quod Pontificia Commissio in hac responsione prae oculis praesertim habuit, erat incommodum proveniens a civili lege, *matrimonium* (*canonicum*) *sub gravibus poenis vetante* ». Si igitur parochus vel sacerdos delegatus, ut poenas iniustas effugeret, necesse erat abesse ipsa celebratione matrimonii, quamvis praesens in loco i. e. in paroecia, in urbe, in pago vel regione etc., unde nec requirere nec excipere in actu celebrationis matrimonii consensum nupturientium valeret, matrimonium in casu coram solis testibus valide celebrari poterat.

Iuxta GASPARRI, Responsio anni 1931 illuminat Responsionem anni 1928, non eo sensu, quem voluere fautores sententiae negativae, nempe, quod canon 1098 tunc solum esset adhibendus cum parochus vel sacerdos delegatus esset absens physice a *loco* i. e. urbe, pago, regione celebrationis matrimonii; sed alio diverso: i. e. quando parochus vel sacerdos delegatus *haberi nequit* in celebratione matrimonii *physice praesens*, seu requirens et excipiens consensum, idque ob grave incommodum quod *talis* praesentia affert, matrimonium valide et licite contrahitur coram solis testibus. Ait GASPARRI (l. c.): « Responsio igitur data die 10 martii 1928 ita est intelligenda, ut ad matrimonii valorem non sufficiat praesentia moralis, sed sit necessaria praesentia physica *et activa*, ita scilicet ut sacerdos assistens nupturientium consensum et exquirat et recipiat ad normam can. 1905 § 1, n. 3 ».

7. Quae cum ita sint, non videntur auctores citati, VIDAL, MAROTO, DE BECKER, LINABORN, OESTERLE aliique recte aestimasse quae-

stionem in scholis tractatam: seu, utrum matrimonium valide et licite celebrari possit coram solis testibus, si sacerdos competens assistere nequeat quia lex civilis, gravibus comminatis poenis, sacerdotem ab assistentia prohibet, fuisse iam solutam a Pontificia Commissione Responsione anni 1928. Interpretatio, vr. gr. R.mi De Becker (*Ephemerides Theologicae Lovanienses*, 1932, p. 289) haec fuit: « Commissio respondit: « Affirmative », seu, si physice est praesens sacerdos vel Ordinarius et tamen magnum est incommodum, interpretatio a. 1928 *sese refert etiam* ad hunc casum, seu, non datur locus exceptioni ». Ille addit: « apertus semper remanet, iuxta anteriora Responsa, recursus ad Sedem Apostolicam sed in singulis casibus ». Unde, iuxta De Becker, Pontificia Commissio per Responsum anni 1931 erat in eadem linea qua prodit Responsum anni 1928: non datur locus exceptioni, quia canon 1908 sese refert tantum ad absentiam physicam.

Solutionem attamen quaestionis in Responso anni 1931 haberi tenendum est in sensu integrativo; quod ceteroquin apparet, si consideretur hanc Responsionem integrare quaesitum anno 1928 conceptum, ut ipsa verba demonstrare videntur.

Confirmatio huius rei explicita venit a S. C. de Sacramentis, quando Episcopo Metensi (Metz), die 24 aprilis 1935, respondit: « An *ratione habita responsi dati a Pont. Comm. die 25 iulii 1931*, ad hunc eumdem canonem 1098 referendus sit casus, quo parochus vel Ordinarius celebrationi matrimonii religiosi assistere nequit, quia lege civili prohibetur, etiam sub poena, matrimonium coram Ecclesia celebrare, nisi praecesserit matrimonium sic dictum civile, et hoc ab auctoritate civili omnino recusatur, e. g. ob defectum instrumentorum, quae lex civilis requirit ». Resp. affirmative. (Cfr. Sartori *Enchiridion Canonicum*, l. c., p. 227.)

In hac responsione S. Congregationis casus prospiciebatur gravis incommodi in concreto determinati: nempe, quando lex civilis prohibet, imposita quoque poena, matrimonium coram Ecclesia celebrare, nisi postquam civilis celebratio praecesserit. Si celebratio civilis fieri nequit, quia lex civilis requirit ad matrimonium celebrandum id, quod sponsi praestare nequeunt, matrimonium canonicum, pro quo nullum impedimentum obstat, in forma ordinaria celebrari non potest nisi poenas a lege civili impositas incurrendo. Quod est satis grave incommodum, ut sacerdos competens matrimonii celebrationi assistat. Itaque Responsionem Pont. Commissionis etiam ad hunc casum referendam esse S. Congregatio edixit.

II. de gravi incommodo

8. Res hucusque propositae satis clarae apparent, et in eis facilem nunc haberi auctorum concordiam, dici potest.

Verum qua ratione aestimanda sint « gravia incommoda » quae ex praesentia sacerdotis competentis derivantur in celebratione matrimonii secundum formam ordinariam, indicare oportet.

Iuxta dicta, « grave incommodum » arcessendi sacerdotem competentem ad assistendum matrimonii celebrationi ex duplice ordine rerum accidere potest:

a) quia sacerdos competens *a loco* i. e. ab urbe, a pago, a regione *abest*, ac eumdem *adire* vel eumdem *habere* gravem molestiam, grave praeiudicium, graves expensas (relative) grave damnum, grave periculum sive parocho vel ordinario vel sacerdoti delegato qui matrimonio assistat, sive utrique vel alterutri matrimonium contrahenti, producere potest. (Cfr. Responsum Pontif. Commissionis, diei 3 maii 1945, in *A.A.S.*, 37 [1945] 149).

b) quia etsi sacerdos competens non sit a loco *absens*, eius praesentia in celebratione matrimonii « grave incommodum » sive ipsi sacerdoti sive utrique vel alterutri contrahenti producere potest. Grave incommodum hoc intelligi debet de consequentiis onerosis et gravibus quae ex *ipsa assistentia* sacerdotis competentis deriventur. Gravamen tunc subeundum impedit praesentiam physicam sacerdotis competentis ad matrimonio assistendum, ideoque assistentia *haberi nequit* « sine gravi incommodo ».

9. Gravitas incommodi aestimatur proportionate ad gravitatem legis de forma substantiali ordinarie servanda celebrationis matrimonii. Gravitas nempe mensuretur oportet ex momento quod habuit instauratio formae tridentinae ad compescenda matrimonia clandestina ob bonum commune societatis civilis et ecclesiasticae, et ob bonum privatum coniugum contra arbitrarias et exitiosas uxorum derelictiones.

Non est cur heic ponderare debeam gravitatem legis imponentis ad validitatem matrimonii formam substantialem publicam. Si quis recolit mala quae ante Concilium Tridentinum ex matrimoniis clandestinis habebantur, facile haec intelligere potest.

In praesentiarum illa mala partim aggravata sunt ex institutione matrimonii civilis, cui in multis locis *uni* recognoscuntur effectus civiles, partim alleviata sunt, quia matrimonium civile tantum forma publica celebrari praecipitur a codicibus civilibus.

Matrimonia canonica in forma extraordinaria celebrari tantum debent, quando moraliter impossibile est observare formam ordinariam. Id omnes auctores tenuerunt post Concilium Tridentinum et praesto facta est iurisprudentia ecclesiastica de forma extraordinaria, quae agnoscebatur legitima in adiunctis extraordinariis; videlicet, in territoriis missionum, aut tempore persecutionum, « quando

lex Tridentina observatu impossibilis aut difficilis fuerit, ut ait S. C. S. Officii in Instructione 6 iulii 1917. Nempe quando nupturientes *non possunt omnino parochum legitimum habere* (Pius VI ad Episcopum Lucionensem 28 martii 1793); vel nonnisi difficillime et periculosissime *ad eum recurrere possunt* (Pius VI ad Episcopum Genevensem 5 oct. 1793); *vel tutus accessus ad illum non est* (S. C. C. 18 ian. 1863); *vel ob persecutionem non est christianis facilis aditus* ad missionarium (S. C. de Prop. Fide 2 iul. 1827 ad 2um.); vel *facilis ad eosdem* (parochos) *vel tutus non patet accessus* (S. C. S. Officii 6 iul. 1817) ». Ita summabat iurisprudentiam Gasparri, *de Matrimonio*, ed. 1ª (1891), vol. II, n. 966. Nec iste E.mus Auctor eo tempore (an. 1891) sibi quaestionem fecerat de applicanda forma extraordinaria ob difficultates in *nostris* regionibus matrimonio canonico a lege civili factas.

Quaestio incepit agitari in primo decennio huius saeculi XX i. e. tempore quo anticlericalismus in legibus cotidie rigidior fieret, seu ante bellum mundiale primum.

Matrimonia canonica in forma extraordinaria plerumque celebrari tunc petebantur, quia actus civilis celebrari nequibat; proinde in illis locis in quibus eidem *uni* effectus civiles recognoscebantur. Ea ergo matrimonia, ob adiuncta, remanebant sine effectibus civilibus.

Quantum autem sit grave matrimonia canonica sine effectibus civilibus relinqui, inde deducitur quod iam S. Poenitentiaria in Instructione diei 15 ianuarii 1866 declaraverit ut fideles actum lege civili praeceptum exsequerentur, et Leo XIII in Encyclica Arcanum iterum inculcaverit « ipsa non abnuente Ecclesia, quae vult atque optat ut in omnes partes salva sint matrimoniorum effecta, et ne quid liberis detrimenti afferatur ». Hinc Card. D'Annibale (P. III, n. 467): « Qui ea solemnia civilia omittunt, gravi non vacant (culpa), si quid opinor ». Gravitas igitur obligationis matrimonia civilia celebrandi, nisi « grave incommodum » adsit, patens est. Cfr. Gasparri, *Tractatus de matrimonio* (ed. 1932), II, p. 315.

10. Matrimonia coram solis testibus *sic* celebrata quodam modo munus simile matrimoniis conscientiae habere, in comperto est. Ait Vlaming: « Canones huc spectantes (1104-1107) paululum duximus antecapiendos, quia huius matrimonii (conscientiae) forma secreta de natura formae extraordinariae vere participat » Vlaming-Bender, *Praelectiones iuris matrimonii*, ed. 4ª, p. 432, not. 2.

Differentiae equidem inter utrumque matrimonium sunt:

a) matrimonium conscientiae celebratur forma substantiali integre servata, nempe, coram Ordinario aut parocho loci aut sacer-

dote ab alterutro delegato et duobus testibus; matrimonium in forma can. 1098 celebratur pro validitate saltem coram solis testibus.

b) Matrimonium conscientiae celebratur omissis denuntiationibus et secreto: matrimonium in forma can. 1098 per se non fert dispensationem a denuntiationibus nec promissionem et gravem obligationem secreti ad normam can. 1105-1106.

c) Matrimonium conscientiae non est adnotandum in consueto matrimoniorum ac baptizatorum libro, sed in peculiari libro servando in secreto Curiae archivo (can. 1107); matrimonium in forma can. 1098 adnotandum est in *praescriptis* libris quamprimum (can. 1103 § 3).

d) Matrimonium conscientiae non potest celebrari nisi de licentia ipsius Ordinarii loci, *excluso vicario generali sine speciali mandato* (can. 1104); matrimonium in forma can. 1098 plerumque excludit necessitatem licentiae; vr. gr. in periculo mortis, quod certum omnino est. An in aliis casibus et quibus conditionibus infra videbitur.

11. Ecclesia non fuit, nec est favorabilis matrimoniis conscientiae. Formam iuridicam in iure canonico illis praestitit Benedictus XIV in celebri Epistola Encyclica *Satis nobis* (17 nov. 1741, cfr. *Fontes Codicis I. C.* num. 319). Romanus Pontifex, postquam enumeravit, quae ex talibus matrimoniis oriri possunt, mala, ea severissimae disciplinae subiecit, ita ut nonnisi « ex gravissima et urgentissima causa » ea celebrari permittat et cum conditionibus taxative et minute stabilitis. Hae normae in Codicem iuris canonici transierunt (cc. 1104-1107). Igitur matrimonia conscientiae ex mente Ecclesiae rarissima esse debent.

Leo XIII in famosa Epistola « *Il divisamento* » (8 febr. 1893; cfr. AAS XXV, pp. 459-474) haec habet: « Se mal suo grado (la Chiesa) permette talvolta che si celebrino matrimonii occulti, come diconsi, di coscienza, ciò non accade che in casi di gravissima urgenza richiedendolo la legge suprema della salute delle anime. Ma la Chiesa stessa ne ha fissate le condizioni, perché tali casi siano rarissimi, ne ha prescritti i rimedii, affinché nulla ne soffrano i contraenti e la prole, ed ha tutto minutamente ordinato a prevenire altri inconvenienti ».

Bene notandum est Leonem XIII hanc Epistolam scripsisse occasione novae legis in Italia tunc condendae, quae iuberet matrinio (canonico) praemittere civilem nuptiarum ritum. Inter praetextus nempe a Gubernio italico tunc allatos, erat sequens: quod milites contra Status praescripta matrimonium contrahere poterant, siquidem id Ecclesia facile permittere dicebatur per occultam

celebrationem; unde quidam milites parvipendentes effectus civiles matrimonii, solo contenti erant matrimonio occulto seu secreto coram Ecclesia contracto. Quare lex proposita sub poenis comminabatur parochos qui non praemisso ritu civili milites admitterent ad matrimonium. Vindicavit tunc Leo XIII ius Ecclesiae in gravissimo discrimine animarum matrimonia conscientiae celebrandi, quae occulta remanere debebant donec opportunitas fieret initi matrimonii publicationis (Cfr. Wernz, *Ius Decretalium*, t. IV, p. 1ª, num. 210).

Ecclesia tamen tenuit ac tenet ut matrimonia publice celebrentur, non occulte vel secreto, ita ut factum matrimonii coram societate constet. (Cfr. Benedictum XIV, Encycl. *Satis nobis*, in Preambulo). Noluit tunc concedere Leo XIII, Ecclesiam esse matrimoniorum secretorum fautricem, prout osores ecclesiastici ordinis dictitabant; sed omni ope conatus est demonstrare publicitatem matrimoniorum de iure *et de facto* cordi eius maxime esse.

III. a quo debeat incommodi gravitatem aestimari

12. Res ita erant usque ad Decretum « Ne temere », quando auctores iterum suscitarunt quaestionem, occasione interpretationis art. VIII eiusdem Decreti.

Casus tunc considerati praesertim sequentes fuerunt (Cfr. *Nouvelle Revue Théologique*, v. 45 (1913) pp. 135-137):

a) Si « parochi a lege civili prohibeantur quominus matrimoniis fidelium assistant nisi praemissa caeremonia civili, quae praemitti nequeat, et tamen pro animarum salute omnino urgeat matrimonii celebratio » Cfr. AAS 41, p. 511.

b) Si sponsis minorennibus parentes consensum ad matrimonium recusent; unde, vi legis civilis, prohibetur sacerdoti assistentia eorum matrimonio religioso, sub poena mulctae vel carceris; illi tamen matrimonium celebrare volunt canonicum ad evitandam fornicationem. Cfr. De Becker, l. c., p. 290.

c) Si a lege Status militibus prohibetur matrimonium contrahere nisi cum sponsa convenienter dotata; ideo miles cum nequeat matrimonium civile contrahere cum muliere suae electionis, aliquando cogitur pro salute animarum cum ea matrimonium solum canonicum contrahere. Generatim lex Status his in casibus parocho matrimonio canonico assistenti poenam minatur. Cfr. Ep. Leonis XIII, « *Il divisamento* », l. c.

d) Si in legislatione Status adest impedimentum quod ab Ecclesia non admittitur (ex. gr. impedimentum stirpis), et verificantur conditiones casuum praecedentium.

e) Si adesset maxima difficultas obtinendi documenta lege civili requisita vr. gr. ad stabiliendam identitatem personae ad aliam nationem pertinentis, vel circa obitum prioris compartis, aliunde certum.

13. Isti similesve casus in S. C. Concilii discussi fuerunt. Sacra, autem, Congregatio die 27 iulii 1908, quaesitum generale ita concepit: « An et quomodo providere expediat casui, quo parochi a lege civili graviter prohibeantur quominus matrimoniis fidelium adsistant nisi praemissa caeremonia civili, quae praemitti nequeat, et tamen pro animarum salute omnino urgeat matrimonii celebratio ;» cui respondit: « *non esse interloquendum* ».

Evidens videtur per hanc formulam S. Congregationem evitare voluisse reclamationes, quas Gubernia civilia, tunc generaliter Ecclesiae Catholicae et Sanctae Sedi infensissima, facere potuissent, si illis matrimoniis art. VIII Decreti « *Ne temere* » applicaretur et sic celebrata uti valida declararentur; ex alia parte quaestionis resolutio non adeo patebat, ut videre est in Voto Ojetti in *ASS*, 41, p. 542 publicato. Hic pro *validitate* matrimonii concludebat, etsi partes stricta obbligatione teneri affirmabat obtinendi licentiam a parocho vel ab Ordinario ad contrahendum coram testibus tantum; alii tamen sensum diversum verbis S. Congregationis tribuebant, seu matrimonia esse invalida, quia non comprehensa in art. VIII Decreti « Ne temere »; alii denique quaestionem non praeiudicatam decernebant. Sic Wernz (*Ius decretalium*, t. IV, P. I, pag. 300) aiebat: « Quae sententia (pro validitate) a S. C. Concilii non quidem directe approbatur, at neque reprobatur »; dum Vidal in sua editione operis P. Wernz (Wernz-Vidal, *Ius Canonicum*, t. V, num. 547) verba magistri in hunc sensum correxit: « quo responso (S. C. Concilii) certe non praestitit favorem sententiae affirmanti, nec contulit securitatem ut quis ea uteretur in praxi, innixus ipsius probabilitate ».

Manifestum videtur auctores inter se dissensisse ob diversam conceptionem « gravi incommodi », de quo sermo erat in Decreto « *Ne temere* », potius quam ob diversam appretiationem absentiae necessariae ut matrimonium coram solis testibus celebraretur. Sic deduci potuerat ex Resolutionibus S. C. de Sacramentis diei 12 martii 1910 (*AAS* 2 [1910] 193 s.). S. Congregatio institit nempe (nn. I, II) in eo quod « matrimonium potest valide et licite contrahi coram solis testibus sine praesentia sacerdotis competentis ad assistendum *semper* ac, elapso iam mense, Sacerdos competens *absque gravi incommodo* haberi vel adiri nequeat ». Diversis autem casibus in quaesito II propositis respondit: « *provisum in primo* ». Id est, « requisitum characteristicum pro usu facultatis in n. VIII

decreti concesso, non fuit distantia certa a loco, in quo sacerdos competens inveniri potuit, sed *grave incommodum*, sine quo sacerdos competens haberi vel adiri non potuit ». Ita recte Osterle, in *Ius Pontificum*, l. c. p. 143; sed S. C. de Sacramentis de natura huius « gravi incommodi » nondum se pronuntiaverat.

14. Die 31 ianuarii 1916 S. C. de Sacramentis *iterum* quaesitum sibi dissertis terminis proposuit de quo S. C. Concilii edixerat: non esse interloquendum (vide supra nn. 12, 13).

« Cum in nonnullis regionibus, Parochi a civili lege graviter prohibeantur quominus matrimonio assistant, nisi praemisso civili connubio, quod non semper praemitti potest, et tamen ad mala praecavenda et pro bono animarum matrimonium celebrari expediat; quidam horum locorum Antistites a Sacra Congregatione de Disciplina Sacramentorum efflagitarunt: « An et quomodo his in adiunctis providendum sit ». Responsio autem fuit: « Recurratur in singulis casibus, excepto casu periculi mortis, in quo quilibet sacerdos dispensare valeat etiam ab impedimento clandestinitatis, permittendo ut in relatis adiunctis matrimonium cum solis testibus valide et licite contrahatur » (*AAS*, VIII [1916], 36).

Sensus huius Responsi visus est auctoribus obscurus, et potius solutionem *practicam* quam *theoricam* continens. Sed tamen non defuerunt qui tenerent, praeceptum recursum adeo esse necessarium ut sine eo matrimonium esset invalidum. Et sic visum est ipsam quoque S. Congregationem tenuisse, cum Episcopo Paderbonensi paulo postea, i. e. die 9 martii 1916, respondisset: « Ordinarius recurrere non dedignetur in singulis casibus iuxta decretum editum ab hac Sacra Congregatione die 31 ian. 1916.

Quod spectat ad praeteritum, eidem Ordinario tribuitur facultas *sanandi* matrimonia, de quibus in praedictis litteris, constito tamen sibi prius in singulis casibus de perseverantia consensus *putatorum* coniugum ceterisque servatis de iure servandis » (Gasparri, l. c., n. 1015). Sanatio matrimonii et coniuges putati non intelliguntur, nisi quando matrimonium est invalidum.

Necessitas tamen impositi recursus provenire poterat tantum ex dubio facti, non iuris; cum nempe, rimatis adiunctis ac circumstantiis omnibus, decerni debuisset an *permittendum* esset in casu matrimonium celebrari coram solis testibus. Data, autem, gravitate rei, Sacra Congregatio recursum ad Sanctam Sedem faciendum esse decrevit.

15. Non sine quadam admiratione legitur, recursum non ad Ordinarium loci sed ad Sanctam Sedem praecipi: praesertim cum S. C. de Propaganda Fide pro casibus in missionibus similiter eve-

nientibus solutionem pergeret praestare, quae in famosa Instructione an. 1785 ad Praefectum Missionum in Insula Curaçao data, continetur.

Relatum etenim [1] est S. C. de Propaganda Fide die 24 martii 1909 solutionem illius Instrutionis iterum praestitisse, atque adeo ipsam quoque S. C. de Sacramentis die 26 novembris 1909; cum hac tamen differentia, quod prior aiebat: *Parochus...* permittat; altera vero: *Ordinarius...* permittat.

Resolutio pro Insula Curaçao haec fuit: Agebatur de catholicis, quibus ex lege civili praecipiebatur ne matrimonium contraherent coram parocho proprio (secundum legem Tridentinam) nisi prius contraxissent coram magistratu acatholico vel ministro protestante, sub poena 500 florenorum a parocho catholico solvendorum. Ad contrahendum vero coram magistratu acatholico vel ministro protestante, solvendi erant 50 floreni ab ipsis contrahentibus, ita quidem ut pauperes qui solvere hos 50 florenos nequibant, matrimonium contrahere ullo molo valerent. Non coram parocho proprio, ne inflicta 500 florenorum mulcta puniretur; nec coram magistratu acatholico vel ministro protestante ex defectu 50 florenorum ex parte contrahentium. Lex equidem persecutoria catholicorum nimis!

In Instructione S. C. de P. F., praemisso quod catholicis, antequam contraherent iuxta ritum Ecclesiae Catholicae, liceret se sistere coram magistratu acatholico, dummodo nullus sacer ritus, preces aut benedictio interveniret, et solum merum actum civilem ponendi gratia, additur: « Cum vero inopes et miserabiles personae, si cogantur magistratum aut ministrum protestantem adire, nequeant persolvere 50 florenos iuxta legem, tum *parochus catholicus*, constito primum sibi nullum inter contrahentes intercedere canonicum impedimentum, ac *illorum inopiam veram esse*, *permittat* ut, absque etiam sua assistentia, matrimonium ineant, sed tamen praesentibus tribus aut saltem duobus testibus integrae fidei; ac ita celebrato matrimonio, teneantur coniuges citius quam fieri potest, illud parocho significare, qui in codice matrimoniorum illud *saltem secreto* adnotet cum indicatione diei, ac nominibus testium qui praesentes fuerunt ». (Collectanea S. C. de P. F., II, n. 571).

---

[1] Fuit Bucceroni, in *Supplementum alterum, ad institutiones theologiae moralis* (An. 1911), p. 103, num. 1049, qui has Resolutiones publici iuris fecit; sed in *Instit. theol. moral.*, ed. 6a (1915), vol. IV, p. 114 scribebat: « Praecedentibus particularibus decisionibus, patet, *facultatem* factam fuisse, in expositis casibus, ab ipsa S. C.; et consequenter simili impossibilitatis matrimonii civilis casu occurente, *recurrendum esse* ad S. C. de Sacramentis ».

Iuxta hanc Instructionem, erat *parochus* in adiunctis praedictis matrimonium *permittens*, et pari modo, ut fertur, S. C. de P. F. anno 1909 solvebat quaestionem; S. C. de Sacramentis eodem anno 1909, rem *ordinario* detulit. In Resolutione anni 1916 recursum, ut dicebamus, ad *S. Sedem* fieri praeceptum est.

Cur huiusmodi differentiae? Praeterquam quod in missionibus recursus, antiquitus praesertim, difficilis erat, et generatim agebatur de urgentibus casibus, in partibus nostris ob rei gravitatem et consequentias, imo et possibiles abusus, strictiorem disciplinam imponi debere aestimatum est.

Iam S. C. de P. F. Praefecto Missionum Insulae Curaçao animadvertebat: « Videat (Praefectus) ne sub paupertatis praetextu *fraus* aliqua fiat contra Tridentini Concilii decretum ss. 24, can. 1 *de reform. matrim.* (i. e. contra praescriptionem formae substantialis publicae matrimoniorum)... Videat etiam, si *saepius* contingat celebrari huiusmodi *secreta* pauperum matrimonia, inscio atque inconsulto magistratu civili, aut ministro protestante, ipsoque etiam parocho catholico absente, *ne catholica religio quidquam detrimenti capiat.* Valde enim timendum est, Insulae gubernatorem, aliosque magistratus acatholicos, siquidem, quod facile contingere potest, huiusmodi matrimonia clam celebrata, in fraudem suae legis detexerint, novas easque graviores mulctas catholicis indicturos, et omnem fortasse catholicae religionis publicum cultum, ac professionem prohibituros ».

16. Seu quod idem est, in celebratione matrimonii non minus bonum contrahentium quam bonum publicum Ecclesiae intercedit quod certo componi debet cum bono privato singulorum, ad quos ius habent in nuptiis. Videndum igitur pastoribus est, ne hoc privatorum bonum quandoque detrimentum boni publici constituat, propter quod etiam illud sacrificare debeat.

Et in genere, S. C. de Sacramentis recursum ad S. Sedem imponens pro matrimoniis celebrandis sine effectibus civilibus, absque ullo dubio prae oculis habuit mala, quae exinde communitati fidelium sive ipsi Ecclesiae obvenire possunt, propter quae illa moderanda atque rara fieri oportet. Verum est « grave incommodum » propter quod matrimonia forma extraordinaria celebrari permittuntur, imprimis esse incommodum ipsorum nupturientium seu in bonum privatum illam constitui; attamen certum quoque est, in tali facultate seu in celebratione *secreta* illorum matrimoniorum bonum publicum multifarie pessumdari posse, propter quod cautelae ex parte auctoritatis fiunt necessariae. Imprimis, verificatio an revera « grave incommodum » privatorum ipsorum in casu determinato existat, ne sub praetextu incommodi fraus fiat legibus im-

ponentibus formam publicam celebrationis matrimonii; deinde, an tale incommodum adeo grave sit, ut absque detrimento communis boni, quod erit vel possibile scandalum fidelium futurum, vel famae bonae ipsius Ecclesiae laesio, vel aliud eiusdem generis, consentiri posset celebrationi secretae.

IV. DE RECURSU FACIENDO ANTE MATRIMONIUM

17. Hinc gravitas quaestionis, utrum recursus vel ad S. Sedem vel ad Ordinarium vel saltem ad parochum esset ad validitatem matrimonii coram solis testibus celebrati, an ad liceitatem tantum necessarius.

Tantam vim quidam auctores tribuebant incommodis provenientibus ex inconsultis celebrationibus matrimonii in forma extraordinaria, ut ille recursus aestimaretur prorsus necessarius, uti demonstrabant cautiones et limitationes quas S. Congregatio poni coepit in facultatibus concedendis.

Sic S. Congregatio de Sacramentis die 16 iunii 1922 (notetur bene: post promulgatum Codicem Iuris Canonici) dedit Ordinario Brugensi rescriptum sequens: « Relatis in Congregatione de disciplina Sacramentorum precibus Ordinarii Brugen. circa facultatem permittendi, attentis peculiaribus circumstantiis, matrimonium coram solis testibus viduae N. N. cum fratre viri sui N. N., obtenta iam dispensatione super impedimento affinitatis in primo lineae collateralis gradu, eadem S. C. rescribendum censuit prout rescribit: Ordinario Brugen. constito primum sibi etiam, si opus fuerit, per iuratam contrahentium attestationem, nullum aliud inter ipsos intercedere canonicum impedimentum, *cum facultate permittendi* ut absque praesentia parochi matrimonium in casu *valide* et licite iniri possit emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus: imposito ad normam can. 1103 § 3, testibus in solidum cum contrahentibus onere curandi ut initum coniugium quamprimum parocho significetur, qui in libro matrimoniorum illud, *saltem secreto*, adnotet cum indicatione diei et nominibus testium qui praesentes fuerunt ». (Maroto, in *Apollinaris*, I (1928), 338; De Smet, *De spons. et matrimonio*, ed. 4ª, n. 136).

Tenor huiusmodi Rescripti videbatur supponere absolutam necessitatem recursus, seu recursum ipsum esse ad validitatem ipsius matrimonii. Imprimis quia *concedit* facultatem *permittendi* celebrationem coram solis testibus; dein quia haec permissio dicitur ad *valide* et licite ineundum matrimonium, cum ceteris cautionibus.

18. Praestat declarare quae sint incommoda de quibus auctores loquuntur, ex frequenti celebratione matrimoniorum in forma extraordinaria derivata.

Imprimis, quaedam derivata ex forma ipsa. Nam consentit matrimonium *coram solis duobus testibus*. Quinam hi testes esse debeant nullibi determinatur: proinde testes possunt esse quicunque de matrimonio contracto fidem facere possunt, sive viri, sive mulieres, tum puberes, tum impuberes, infideles, excomunicati etiam vitandi, haeretici etc., sive ut testes formaliter assumantur, sive non, licet adfuerint dolo, vel metu gravi, vel vi adstricti. (Cfr. Gasparri, *tract. de matrimonio*, II, nn. 961-965). Ait Vidal (l. c. pag. 695, not. 72): Possent ita multiplicari matrimonia contracta ex inopinato, « i. e. absque approbatione Ecclesiae atque examine de requisitis necessariis cum incommodis multo maioribus quam sub disciplina Tridentina, quia nunc sufficeret cuilibet impedito ex lege civili post seductam aliquam puellam sese cum illa praesentare coram duobus testibus quibuscumque — v. gr. duabus feminis, duabus meretricibus, duobus pueris — et dicere coram ipsis sese mutuo copulari in maritum et uxorem. Inde fieret ut ipsum factum inveniendi difficultates in lege civili — non semper in se irrationabili quamvis prorsus illegitima ex defectu competentiae — tribueret talibus nupturientibus *coram lege ecclesiastica* tam facilem pleneque expeditam facilitatem, quali plerumque non potiuntur ii, quibus impedimentum ex lege civili, nullum obstat ».

19. Alia incommoda oriuntur ex parte firmitatis coniugii. Iam supra vidimus Ecclesiam vehementer optare ut matrimonia sine effectibus civilibus ne remaneant. Ratio est, quia sine illis, facilius coniuges veniunt ad disrumpendam vitam coniugalem cum periculo contrahendi novas nuptias civiles, quae partes in putidum concubinatum trahunt sine spe plerumque revertendi ad legitimam compartem et sic in statu gratiae se ponendi. Matrimonia, quae coram solis testibus absque effectibus civilibus contrahantur absque investigatione auctoritatis ecclesiasticae competentis, maximo gradu hoc periculum continent. Etsi enim ad fornicationem vitandam aut vitam concubinariam removendam ineantur, attamen nullum vinculum *publicum* seu externum, neque civile, neque ecclesiasticum si non inscribantur, habetur quod coniuges urgeat, ideoque facillime evenire potest, ut vir praesertim mulierem nullo negotio derelinquere queat et ita absque externis consequentiis vitam animae exitialem partes ineant. Incaute confessarii quidam animarum proximae saluti consulere intendunt, dum praeparant remotius earum ruinam forsitan irreparabilem. Omnia pericula quae matrimoniis conscientiae insunt, in istis matrimoniis sunt aggravata. Etenim

in matrimoniis conscientiae, ut valida sint, requiritur praesentia parochi cum testibus, et illa praesentia non habebitur, nisi rimatis omnibus circumstantiis ab Episcopo. At si matrimonium in forma extraordinaria contrahitur ex mero consilio confessoris absque ullo recursu ad auctoritatem competentem, quomodo praecavetur ingentibus periculis inde minitantibus?

Urget quoque periculum bigamiae in ipsa Ecclesia. Nam etsi « testes teneantur in solidum cum contrahentibus curare ut initum coniugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur » (can. 1013 § 3), quam conscientiam huius obligationis habebunt testes adhibiti, forsitan quales antea dicebamus, sc. pueri, excomunicati vitandi, dolo, metu aut vi adstricti? Haec matrimonia, si absque recursu ad auctoritatem competentem fieri valerent plena periculis essent fraudum erga Ecclesiam, erga parentes minorennium, erga ipsam societatem civilem. Nec confessarius, qui solum agit in foro interno, habet media sufficientia ut poenitentes coerceat, nec post confessionem posset ipse curam habere sufficientem ut coniuges iuvaret in servandis obligationibus status *permanentis* quem contraxerunt, imo nec obligationem haberet.

20. Quod denique filios attinet incommoda non minora ex talibus matrimoniis sequerentur. Nam filii qui nascentur legitimi erunt, at Status eos illegitimos habebit. Unde eorum iura patrimonialia in ordine ad successionem parentum sine iuridica protectione manebunt. Quin etiam, debebunt in regestis civilibus tamquam illegitimi inscribi, multoties falsis expressis nominibus, aut ipsis in baptismi libris, ne matrimonium parentum detegatur. Quod ad educationem filiorum pertinet nullus non videt, quoties illa periclitetur, si haec matrimonia non rite denuntientur.

21. Adeo gravia aestimata sunt haec incommoda, ipsa ex natura derivata, ut recursus, antequam ineantur matrimonia coram solis testibus, prorsus necessarius videretur.

Nihilominus auctores plures, post promulgatum Codicem Iuris Canonici, ex plana redactione canonis 1098 et quoniam Declaratio S. Congregationis de Sacramentis anni 1916, nullum verbum de *nullitate* matrimonii absque recursu fecerat, deduxerunt matrimonium coram solis testibus ob salutem animarum contractum, esse quidem illicitum si absque ullo recursu ad Sanctam Sedem, attamen validum si *quavis ratione* recursus fuerit praetermissus (cfr. supra num. 4).

Doctrina haec, ut notum est, invaluerat apud auctores natione belgas, quos inter praecipuus fuit Vermeersch (*Theologia moralis*, III, n. 797). Qui si non intrinsecam, extrinsecam saltem probabi-

litatem sententiae dederunt propugnanti validitatem matrimonii absque ullo recursu contracti in datis adiunctis. Idque praesertim quia in nullo textu legali recursus praecipiebatur *sub poena nullitatis* (can. 1680), et Codex de eodem omnino tacebat.

Itaque Patres Concilii Provincialis III Mechliniensis, « volentes, ait De Becker (l. c. pag. 290), *quantum poterant* » (ipsi enim nullitatem expresse statuere nequibant) obviare illis incommodis, statuerunt can. 214: « Stricte prohibetur ne quis, extra periculum mortis, ad normam can. 1098 matrimonium contrahere praesumat, antequam tota res ad Ordinarium loci delata eiusque responsum acceptum sit ». In hoc canone conciliari, bene notandum est, recursus praecipiebatur ad Ordinarium loci. Unde Patres conciliares admisisse viderentur sententiam: haud necessarium esse recursum *ad Sanctam Sedem* neque pro validitate, neque pro liceitate celebrationis extra mortis periculum secundum canonem 1098.

V. de prohibitione ordinarii celebrandi matrimonium in forma c. 1098.

22. In tanta confusione opinionum et rerum Pontificia Commissio Interpretum C. I. C. prima vice, seu anno 1928, in quaestionem intervenit. Vide supra num. 4.

In prima igitur responsione declaravit absentiam parochi vel ordinarii loci de qua in canone 1098, debere esse veram et realem, seu physicam et ad eam *tantum* canon se referre. Igitur « grave incommodum » a canone requisitum debebat esse derivatum a facto ipso adeundi parochum vel ordinarium absentem in loco, ad quem recurri nequeat mediis ordinariis ut matrimonium celebrari possit. Sic rigide et stricte canon interpretatus videbatur solum applicari potuisse in casibus impossibilitatis physicae adeundi parochum vel ordinarium sine gravi incommodo. Exclusi ergo essent casus in quibus recursus ad parochum et ordinarium essent quidem possibiles sine gravi incommodo, sed illi matrimonio assistere nequirent ob damna eventura ex celebratione coram eis matrimonii; hinc neque ob damna etiam, quae a lege civili in casu minitarentur ob adiuncta illius matrimonii. In his casibus vel ageretur de matrimonio celebrando in periculo mortis, et tunc poterant invocari facultates dispensandi etiam a forma matrimonii, quae in canonibus 1043-1045 continentur, ad consulendum conscientiae et legitimationi prolis; vel si casus versaretur extra periculum mortis adeunda erat S. Sedes. Istae solutiones statim prolatae sunt a fautoribus sententiae rigidioris. Sic omnis confusio et dubii ratio radicitus eliminari videbatur in sensum sententiae rigidioris.

23. Verumtamen non adeo rigide Responsionem esse accipiendam, ipsa Pontificia Commissio Interpretum Codicis I. C. edixit in sequenti Responsione anni 1931. Nam canon 1098 non solum de casu impossibilitatis *adeundi* sed etiam impossibilitatis *habendi* parochum vel ordinarium ad celebrationem matrimonii loquitur. Igitur iuxta eam si parochus vel ordinarius vel eorumdem delegatus celebrationi matrimonii assistere nequeat *active* i. e. secundum munus proprium, tamquam testis qualificatus, seu « requirens et excipiens contrahentium consensum », interposito gravi incommodo, canon 1098 obtinet.. Ergo sine recursu ad Sanctam Sedem, si nullum adsit inter contrahentes impedimentum canonicum, vel si agitur de periculo mortis, dispensatis ab ordinario vel a parocho vel a confessario impedimentis intra limites cc. 1043-1045, matrimonium coram solis testibus valide et licite celebrari potest.

24. At vero qua auctoritate muniti possunt contrahentes eo modo matrimonium contrahere? Possuntne ipsimet determinare propria auctoritate quandonam circumstantiae habeantur de quibus supra, et quando grave incommodum adsit ut ea forma ad matrimonium contrahendum procedere possint? Sufficitne auctoritas vel consilium confessarii? Et quis dispensabit ab iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent et praesertim a publicationibus matrimonialibus? Et quomodo agere debebunt filii familias minores qui contrahere velint « insciis aut rationabiliter invitis parentibus », ut praescripto can. 1034 satisfiat? Et cum incommoda quae haec matrimonia bono publico et disciplinae generali matrimonii necnon filiis e matrimonio nabituris generant, adeo generalia sint, quod et quomodo remedium afferri potest facilibus et multiplicibus abusibus quae in matrimoniis forma extraordinaria contrahendis, evenire possunt ac revera eveniunt?

25 Istis gravibus quaestionibus non una potest esse solutio, nec sine distinctione casuum responderi posse arbitror. Imprimis in periculo mortis evidens est large omnes conditiones esse considerandas, cum praesertim incommoda prius iam recensita vel evanescant vel minorem habeant efficaciam. Verum extra mortis periculum res omnino aliter aestimari debet. In casibus in quibus adiri *potest* auctoritas competens ecclesiastica, sive Ordinarius sive parochus, eam adiri *deberi*, evidens est. Auctoritas ecclesiastica competens, nempe, Ordinarius et sin minus parochus, quibus incumbit observantiam legum ecclesiasticarum urgere (can. 336). Casus, qui extra mortis periculum proponuntur non adeo sunt urgentes, (specialis urgentia de qua in can. 1045 iam ibidem provisa

est), ut nequeant aut non debeant auctoritati ecclesiasticae competenti proponi, *si haec adiri potest.*

26. Equidem non attendere non possum magnum discrimen quod habetur in legislatione Codicis I. C. inter disciplinam matrimonii conscientiae, et disciplinam matrimonii in forma extraordinaria canonis 1098 celebrati extra mortis periculum. Illud discrimen praesertim datur cum de casibus agitur absentiae parochi ob grave incommodum, « licet materialiter (sit) praesens in loco », ut ait quaesitum anni 1931. Matrimonium conscientiae « nonnisi ex gravissima et urgentissima causa ab ipso loci Ordinario, excluso Vicario Generali sine mandato speciali, *permitti potest* » (can. 1104). Unde nequit celebrari, nisi cum tali permissione seu facultate. Cum autem celebrari debeat in forma ordinaria, eius *validitas* pendebit a conditionibus in cc. 1095, 1096 impositis.

Exemplum illius gravissimae et urgentissimae causae tradidit ipse Benedictus XIV (Const. *Satis nobis*), nempe, casum, quo matrimonio iungi desiderent vir et mulier, qui, in *occulto concubinatu viventes*, publice reputantur veri coniuges. Isti exemplo alia auctores adiunxerunt, in quibus praedicta urgentia haberi manifestatur: casus, quo vir nobilis contrahit cum muliere ignobili, ut evitentur hominum dicteria aliaeque molestiae: casus, quo nupturientes si eorum matrimonium cognoscatur, copiosiorem haereditatem non consequantur; casus viduae, quae in secundis nuptiis iungenda, amittat tutelam suorum filiorum, aut exuatur facultate exercendi commercium sibi suisque necessarium. His Vlaming-Bender, (*Praelectiones iuris matrimonialis*, ed. 4ª, p. 433) addit: « Item denique casus, quo vir et femina, qui legum civilium formalitatibus satisfacere non valent, ac proinde *civiliter copulari nequeunt*, tamen, ad salutem animae suae, omnino debent matrimonio religiose coniungi; aut si vir militaris contrahere cupit cum sponsa quae dote caret lege militari praescripta, etc. ».

27. Haec postrema exempla non dubium est convenire cum casu proposito a S. C. de Sacramentis in Responso diei 24 aprilis 1935, quem supra *in num.* 7 referebamus. Igitur in tali casu, aut celebratur matrimonium conscientiae, aut sub forma extraordinaria canonis 1098.

Si *primum*, observari deberent omnes conditiones cc. 1104 et seq., quae valde severae sunt. Si autem non servarentur, puta si parochus loci, absque Episcopi licentia, matrimonio assisteret tamquam matrimonio conscientiae, seu omissis denuntiationibus et secreto ad normam canonum, matrimonium equidem validum foret, sed nulla haberetur promissio secreti, quae ex can. 1105 pro-

mittitur cum gravi obligatione adnexa; sic iuridica efficacia matrimonii conscientiae evanesceret.

Si autem matrimonium celebratur in forma canonis 1098, vel habitus est recursus ad Ordinarium loci, vel non.

Si habitus est recursus, manifestum est Ordinario, saltem *per analogiam*, competere facultatem permittendi celebrationem matrimonii in forma extraordinaria, cum cautelis quas ille opportunas iudicaverit, et cum instructione, quoad ipsam celebrationem, apta ut ea quae iuris sunt, speciatim quae praemitti debent, praemittantur. Etiam Ordinarius praescribere debebit media idonea, attento canone 1103 § 3, ut *secretum* servetur, ut ita finis a lege intentus obtineatur, in favorem praecise ipsorum contrahentium quorum *gravi incommodo* Ecclesia subvenire intendit.

Absonum omnino foret, ut Ecclesia quae tot cautelis in favorem contrahentium circumfert matrimonia conscientiae (quae nota bene! non sunt matrimonia celebrata in foro interno, quia esset absurdum et incompatibile cum disciplina matrimoniorum necessario effectus externos secumferente) non praescriberet auctoritati ecclesiasticae competenti in matrimoniis forma extraordinaria celebrandis easdem cautelas observari. Inter quas *secretum* et formam id servandi, imprimis venire debent. Ad quid, enim, haec matrimonia celebrari permittuntur, nisi ut subveniatur gravi incommodo quod derivatur praecise ex impossibilitate morali leges civiles in casu observandi? Ergo ni haec matrimonia *secreto* serventur, incommoda gignuntur tum ipsi Ecclesiae, tum contrahentibus, tum populo fideli ob scandalum. Adde alia pericula, quae supra in numeris 18-21 consideravimus.

28. Si autem haec matrimonia in forma can. 1098 celebrari liceret absque recursu ad Ordinarium, mala haec multiplicarentur, et aliquid iuridice inconsonum et enorme verificaretur.

Multo enim gravius est matrimonia celebrare in forma extraordinaria quam celebrare matrimonia conscientiae. Ex interpretatione tamen, canonis 1098, etiam authentica, auctores deducunt maiorem facilitatem haberi in legislatione pro forma extraordinaria quam pro matrimoniis conscientiae, tum in aestimandis causis, tum in conditionibus celebrationis. Pericula pro ipsa disciplina matrimoniali et pro ipsis contrahentibus in prioribus sunt multo maiora, nec lex eis vitandis satis providere videtur; quin imo in arbitrio, ut ita dicam, ipsorum contrahentium haec matrimonia collocari, dici valeret. Nam etiamsi canon 1103 § 3 contrahentibus et testibus in solidum obligationem imponat denuntiandi celebrationem, tamen electio testium (cfr. supra n. 18) in mero arbitrio contrahentium est, et non adest testis qualificatus.

Praeterea, cum *in matrimoniis de quibus agimus* praescriptum canonis 1098, n. 2°, quoad sacerdotem vocandum, nec observatu facile sit, nec facile intelligatur quomodo observantia urgeri possit, matrimonia celebrari possunt omnino *private*, ita ut vere dici queat, matrimonia privata in iure ecclesiastico celebrari posse. Quod Ecclesia numquam, a tempore Concilii Tridentini, agnovit in locis ubi Concilii decretum promulgatum fuit, nec post Decretum « *Ne temere* » nullo in loco permitti posse manifestum est.

Pratice, ergo, derogatur disciplinae matrimonii conscientiae, eo sensu, quod ubi Ecclesia vellet ea celebrari matrimonia, contrahentes eligere possent aliam formam, quae solemnitates eorum praetermittere sinit. Hoc adeo grave videtur, quod non est facile intelligere quo modo legislatio non decernat *nullitatem* matrimoniorum, quae celebrentur in fraudem cautionum dispositarum pro matrimoniis conscientiae.

29. Dixi « non decernat »: quia expressa vel aequivalens sanctio nullitatis matrimoniorum coram solis testibus, *proprio marte*, celebratorum, aut *contra prohibitionem ordinarii*, in iure non existit. Haec matrimonia, prout referuntur in Responsione S. C. de Sacramentis diei 24 aprilis 1935, non habere videntur quoad validitatem, nisi solas duas conditiones: prima necessaria conditio: si testis qualificatus haberi vel adiri nequeat, sine incommodo, et haec conditio adimpleta dici debet in casu de quo in citata Responsione; altera conditio est: « dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam », et haec conditio in casu etiam adimpleri dicendum est.

Quodsi argumenta supra allegata dubium valde grave ingerere videntur de validitate ipsa illorum matrimoniorum, praesertim si contracta fuerint contra praescriptum Ordinarii, id suadet legem ferendam esse in qua expresse ponatur: matrimonium extra mortis periculum coram solis testibus celebratum, ubi recursus, qui possibilis sit, ad Ordinarium vel saltem parochum pratermissus fuerit, aut contra eius praescriptum, esse nullum.

VI. CASUUM SOLUTIO

30. Restat ut quaedam de casibus initio propositis practice dicamus. Et imprimis de casu in num. 2 relato.

Casus videtur aptari, quoad substantiam, Resolutioni S. C. de Sacramentis diei 24 aprilis 1935, eo sensu quod matrimonium civile nequibat inter Petrum et Antoniam celebrari, donec divortium civile prioris Petri matrimonii civilis pronuntiaretur Iam vero di-

vortium civile obtinere moraliter inpossibile videtur, si illae circumstantiae quae propositae sunt, perseverent. Matrimonium, tamen, Petri cum Antonia celebratum est ad normam canonis 1098, sed contra praescriptum Ordinarii, qui negavit matrimonii *secreti* celebrandi facultatem. Aestimo matrimonium fuisse validum, aut si dubium reputatur, sustineri oportere ob favorem iuris (can. 1014). Sed Ordinarius non tenetur ad *secretum* servandum, ideoque praecipere potest publicationem illius et adnotationem in libris matrimonialibus publicis.

31. Casus in quo matrimonium civile inter partes quidem fieri potest, sed celebratio civilis effectum habebit amittendi mulieris pensionem (cfr. n. 3) non intrat hypothesim Resolutionis S. C. de Sacramentis 24 aprilis 1935. Unica ratio cur *partes nolunt* matrimonium civile inire est effectus amittendae pensionis. Huc autem refert alia Resolutio S. C. de Sacramentis diei 2 iulii 1917 (*Il Monitore Ecclesiastico*, 1919, p. 193) in qua ad quaesitum: « An admiti possint ad celebrationem matrimonii mulieres, viris bello interfectis orbatae, quae, ne annua Gubernii pensione priventur, pratermittere volunt celebrationem matrimonii, ut aiunt, civilis », S. C. respondit: « Non esse recedendum a praxi S. Congregationis, ideoque amissionem pensionis *non esse causam sufficientem* permittendi celebrationem matrimonii absque ritu civili. Quod si aliae habeantur circumstantiae, recurrendum in singulis casibus ».

Ex hoc iam facto iudicio sequitur, amissionem pensionis reputari non posse ut grave incommodum de quo in canone 1098; inter alia, quia lex Status, eam amissionem decernens ob novum matrimonium contractum, iniusta dici nequit. Quod autem attinet vitam concubinariam quam partes inire possent, propter quam etiam ab ipsa politia Status persecutionem habebunt ob delictum a lege poenali sancitum, observandum est id non tolli a matrimonio in forma canonis 1098 celebrato, sicuti non tolletur a matrimonio canonico in forma ordinaria celebrato. Ideoque nec hac ex parte grave incommodum oriretur proprium celebrationis ordinariae matrimonii.

32. Quoad casum sub n. 1 propositum: cum auctores plerumque propugnent, defectum sacerdotis competentis ad matrimonium non verificari, si parochum facile ipsi nupturientes adire possint, aut pergere facile in aliam paroeciam vel locum ubi inveniant sacerdotem competentem pro valida assistentia, haec circumstantia verificari oporteret, an in casu habeatur necne. Nam vr. gr. pauca quaedam Kilometra (10 aut 15 Km.) non videntur constituere distantiam talem, quae grave incommodum gignat ea percurrere.

Quodsi distantia diceretur grave incommodum pro pompa nuptiali (corteo nuziale) ducenda, hoc non est ita aestimandum, ut constituat grave incommodum nupturientibus, ut *ipsi* parochum adiri possint. Evidens est quod incommoda extrinseca celebrationi substantiali non debent computari in gravi incommodo de quo in canone 1098. Alia autem quae considerari in casu oporterent, veluti conditio ad validitatem requisita: « dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam », vel natura consensus praestiti dum actum civilem nupturientes posuerunt ceteraque, a R. P. Bender, in principio huius nostri laboris articulo citato, bene discussa sunt, nec oportet ea nunc iterum retractare.

R. Bidagor S. I.

IMPEDIMENTORUM MATRIMONIALIUM MUTATIO VEL SUPPRESSIO

Articulum valde notabilem publici iuris fecit notus canonista romanus, V. Bartoccetti, secretarius adiunctus apud S. Congregationem de disciplina Sacramentorum, ad cuius competentiam pertinet res tractata. (*Révue de Droit Canonique*, 1953, fasc. III, p. 259-267). In paucis paginis multa tractat, ita ut putare nobis liceat, finem suae disceptationis potius esse res actas cum rationibus prolatis attentioni, studio critico, iudicio prudenti et etiam discussionibus submittere canonistarum; imo hosque provocare ut propriam hisce de rebus manifestent sententiam et iudicium. Multa ab auctore proferuntur, quae ni fallor assensum obtinebunt aliorum et quae merentur ut fusius elaborentur, rationibus amplioribus fulciantur, enixe commendentur. Hoc autem fieri nequit in uno solo articulo. In hoc tantum disceptare nos iuvat et nostrum iudicium patefacere de iis, quae B. scribit de utilitate modificandi legislationem canonicam circa impedimenta matrimonialia.

Estne necessarium praemittere protestationem, qua B. suum articulum criticum inducit: « absit quidem a nobis Mentoris vel consiliarii munus assumere, quasi aliquid docere Superiores velimus »? Relegens haec verba post articulum ipsum ex toto attente perlectum, subridere vix non potui. In articulo auctor nihil aliud facit quam id, de quo his verbis testatur: absit a nobis hoc facere! Nolo eum arguere. Minime! Mihi autem magis placet simpliciter animadvertere nos canonistas non dedecere res, quas studio et experientia didicimus per modum consilii doctrinalis subiicere iudicio aliorum, etiam superiorum. Nonne hoc est pars notabilis officii istorum saltem iurisperitorum, qui se studio iuris, lectionibus et publicationibus scientificis dedicant? Sane, cum debita reverentia et modestia; non videtur necessarium hoc alta voce proclamare. Non decet nos partes legislatoris agere aut magistri infallibilis. Sed consiliarii munus non videtur a canonistis alienum. Historia manifestat ad iuris evolutionem et emendationem eiusque ad temporum exigentiis adaptationem non pauca contulisse labores iurisperitorum, quorum quidam ad hoc expresse fuerunt advocati, minime autem omnes.

Iam iterum immutare ius?

Non miraremus audientes aliquem obiicientem: sed vix a quadraginta annis Codex « opportunas immutationes attulit » (c. 6), et ius circa impedimenta matrimonialia sane huic benefico labori

non mansit subtractum. Estne opportunum iterum suggerere et desiderare ut hoc ius modificetur?

Concedimus cavendum esse ne ius positivum nimia frequentia immutetur, memores verborum S. Thomae [1]: « Habet ipsa legis mutatio, quantum in se est, detrimentum quoddam communis salutis, quia ad observantiam legis plurimum valet consuetudo. In tantum quod ea, quae contra communem consuetudinem fiunt, etiamsi sint leviora videntur graviora ». Animadvertendum tamen est, has rationes non eadem vi valere pro qualibet legis immutatione. Et proprie de immutationibus, de quibus hic est sermo, scilicet de impedimentorum plurium sive suppressione sive attenuatione qua nunc dirimentia fierent mere impedientia, plures rationes prorsus non valent. Huiusmodi immutatio enim non induceret obligationes novas, quae ratione novitatis qua consuetudinem tollunt graviores videri possent; sed tantummodo obligationes hucusque existentes tolleret. Propter eandem causam etiam non valet alia ratio, quae contra legis mutationem in genere afferri merito potest, scilicet quod populus ius cognoscit et sic scit quid sit servandum, potius consuetudine seu praxi vitae quam scientia, studio aut lectura obtenta. Nam mera obligationis suppressio non requirit cognitionem ut ius novum servetur; inducit enim agendi libertatem.

Nec dicendum videtur canonistam, qui hodie suggerit opportunas iuris immutationes afferendas, implicite declarare immutationes Codice inductas non fuisse sufficientes [2]. Nam, praeprimis spatium 40 annorum, iam post Codicis promulgationem elapsorum, non est ita breve. Insuper autem haec periodus graves immutationes attulit in vita sociali, demografica, oeconomica. Bella universalia saltem duo, enormis progressus facilitatis mutandi locum et petendi regiones longinquas, emigrationis sive liberae sive coactae frequentia hucusque inaudita, profunde immutaverunt hominum vitam cui ius applicari debet. Hodie rationes adesse possunt ulterius procedendi in opere immutationis iuris, quae tempore Codicis promulgati neque aderant neque praevidebantur.

Deinde non raro experientia statuere possumus sapientiam et prudentiam, maxime socialem et gubernativam, suggerere ut progressus, etiam illi qui consistunt in iuris immutatione, potius *gradatim* fiant. Ea quae Legislator omnia simul et eodem tempore perficere sapienter et prudenter noluit, ipsum, eadem sapientia et pru-

---

[1] *Summa Theologica*, I, II, q. 97, a. 2. Vide L. Bender, *Philososhia Iuris*. Ed. 2. p. 220.

[2] *Bartoccetti*. Art. cit. a. 16.

dentia ductum, gradatim et magis sensim sine sensu perficere velle nullatenus a priori est reiiciendum [3].

Neque pro iure canonico saltem hucusque pertimescendum est periculum aut damnum, de quo agit J. J.Rousseau, scribens: « c'est surtout la grande antiquité des lois, qui les rend saintes et et vénérables: le peuple méprise bientôt celles, qu'il voit changer tous les jours ». Praeprimis numquam quis Ecclesiam arguit de nimia celeritate et amore novitatis in re iuridica. Et de hoc non est dolendum, dummodo stabilitas non exageretur. Deinde, populus catholicus ita pauca scit de impedimentis matrimonialibus, ut practice nulla in hac re mutatio posset apud eum diminuere reverentiam pro legibus. Id quod sciunt practice restringitur ad hoc, quod Ecclesia prohibet matrimonia cum personis non catholicis et in vago sciunt *aliquid* speciale haberi cum matrimoniis inter consanguineos et affines. Fere nemo autem servaret haec duo impedimenta, nisi parochus in casibus concretis interveniret, et etiam tunc illa servant in sensu improprio, i. e. petendo dispensationem, minime autem evitando huiusmodi matrimonia.

Impedimentorum distinctio.

In usu est docere: dantur tria impedimenta impedientia et tredecim impedimenta dirimentia. Hoc dicentes veritatem dicimus. Attamen in sensu aliquo improprio. Modus loquendi non est exactus ex omni parte, ideoque facile causare potest conceptus aliqualiter confusos.

Praecipue in ordine ad res hic tractandas animadvertendum est non dari tredecim impedimenta *specie* distincta, sed tredecim *nomina* diversa seu distincta. Non semper uno nomine designatur unum tantum impedimentum. Plura dantur nomina, quibus plura impedimenta simul designantur, quae *generice* tantum conveniunt, non autem specie. Sic sub nomine « impedimentum criminis » comprehenduntur (praeter alia) impedimentum quod oritur ex adulterio cum attentatione matrimonii et impedimentum quod oritur ex occisione coniugis alterutrius mutua opera perpetrata. Sunt actus omnino diversi tum sub aspectu physico tum sub aspectu morali. Vix vocari possunt *generice* idem, nempe nisi *generice* sumatur in sensu valde generali. Actus enim nihil commune habent nisi quod constituunt crimen gravis iniuriae. Sub aliis nominibus comprehendi solent impedimenta (facta) generice eadem in sensu utique minus generali, sed non specifice eadem. Relatio enim consanguinitatis inter patrem et filiam non est relatio eiusdem speciei ac

[3] *Barioccetti*. Art. cit. n. 10.

relatio inter consobrinum et consobrinam, etsi generice omnes huiusmodi relationes sunt relationes consanguinitatis. Sic sub nominibus: impedimentum consanguinitatis, affinitatis, publicae honestatis continentur plura impedimenta specie distincta seu ad tot pertinentes species diversas quot dantur diversae relationes, inter se distinctae secundum diversitatem linearum et graduum. Ex hoc plura deducuntur:

1. Statuta divisione impedimentorum in plures categorias, e. g. impedimenta iuris divini et impedimenta iuris humani; impedimenta in quibus Ecclesia dispensare solet et impedimenta in quibus dispensare non solet, etc. non pro quolibet impedimento nomine designato dari potest eadem simplex responsio, sed non raro responsio danda est sub distinctione, e. g. impedimentum consanguinitatis in primo gradu lineae rectae est iuris divini; impedimentum consanguinitatis in linea collaterali ultra primum gradum est iuris ecclesiastici; de impedimento consanguinitatis in primo gradu lineae collateralis responsio certa dari vix potest.

2. Eodem nomine designantur impedimenta, quae tamen nullatenus habent idem momentum pro vita sociali.

3. Non necessarium est ut impedimenta quae uno eodemque designantur nomine, sint omnia dirimentia aut omnia impedientia. Etiam haec impedimenta pertinere possunt ad diversas categorias.

4. Propugnare possumus sive abrogationem sive immutationem alicuius partis tantum materiae, quae in capite: de impedimentis sub uno nomine in Codice tractatur, intacta alia parte.

Quare tot impedimenta dirimentia?

Qui componit elenchum impedimentorum iure Codicis vigentium, statim videt fere omnia impedimenta esse dirimentia, a. v. esse leges sub aspectu iuridico et sociali maxima pollentes vi impediendi matrimonium ipsis contrarium. De hoc merito miratur et sibi (aut canonistae) proponit quaestionem: quomodo explicatur hoc phenomenon? Mirandum enim est impedimenta etiam minoris momenti omnia esse irritantia. Nam inter impedimenta dirimentia inveniuntur etiam impedimenta non magni momenti. Hoc apparet multis modis: 1. ex eorum propria indole: 2. iudicio legislatoris, qui plura eorum vocat « minoris gradus »: 3. ex magna facilitate et frequentia, qua auctoritates competentes in eis dispensare solent.

Ni fallor responsio ad quaestionem sic obtinetur. Impedimenta hodie vigentia sunt valde antiqua. Decursu saeculorum plura subierunt quidem aliquas mutationes, sed quoad substantiam iam vi-

gent sive a primis saeculis sive saltem a multis saeculis ante Concilium Tridentinum. Ex hoc sequitur haec impedimenta esse constituta tempore quo non vigebat lex de forma matrimonii iuridica servanda ad validitatem. Haec enim lex nonnisi post longas haesitationes condita est a Concilio Tridentino, in celebri capite « Tametsi » (1563). Antea matrimonii celebratio publica seu in facie Ecclesiae, et coram sacerdote, erat utique praescripta, sed matrimonia inita hoc praecepto neglecto (sic dicta: matrimonia clandestina) erant valida. Quapropter, volens constitutione impedimentorum impedire aliqua matrimonia, tunc temporis unum solum ad manus habebat legislator medium vere efficax, scilicet impedimentum *dirimens*. Impedimenta enim mere impedientia apertam relinquebant viam, etsi illicitam tamen sat facilem, contrahendi *valide*. Et matrimonium semel valide initum et consummatum nulla potestas humana infectum reddere potest. Nullatenus igitur mirandum est impedimenta tunc temporis constituta esse constituta ut impedimenta *dirimentia* [4].

Post decretum *Tametsi* ille rerum status est funditus immutatus. Condita enim lege de forma iuridica ad validitatem servandam, inducta est necessitas adeundi parochum et matrimonii proposití celebrationem eius submittere tum vigilantiae tum decisioni. Ab hoc iure condito matrimonia valide iniri nequeunt, nisi cum assistentia parochi (vel sacerdotis ab eo ad hoc delegati), cuius est investigare de existentia impedimentorum et cui grave incumbit officium in foro externo et in conscientia denegandi hanc assistentiam si obstet aliquod impedimentum.

Cum autem caput *Tametsi* vigere coepisset in iis tantum locis (paroeciis) ubi fuerat promulgatum (et in multis nunquam fuit promulgatum), et etiam aliis modis eius obligationis ambitus fuisset restrictus (cfr. Declarationem Benedictinam et similia) eius

---

[4] Ius de impedimentis conditum est secundum hoc principium: impedimenta sunt dirimentia, nisi ratio specialis cogat ut aliquod impedimentum sit tantum impediens. Omisso impedimento cognationis legalis, quod sequitur leges civiles diversarum nationum, duo habentur impedimenta impedientia: votum simplex et mixta religio. Votum simplex seu non solemne antiquitus erat solum votum privatum; nunc comprehendit multa vota publica. Huiusmodi votum est res occulta, quae non facile detegitur. Insuper saepe fit a personis, quae deinde non clare et certo sciunt an proprie voto voluerint promittere et quid. Impedimentum mixtae religionisetiam nititur facto saepe incerto, praecipue tempore quo protestantismus se diffundere coepit inter populos catholicos, et homines facilius quam hodie sectae haereticae nomen dabant vel iterum ad fidem catholicam redibant, non raro integrae civitatis cives simul. Huiusmodi impedimenta constituere *dirimentia* provocaret nimiam incertitudinem circa matrimoniorum validitatem.

efficacitas ad impedienda matrimonia quibus obstat impedimentum canonicum non erat generalis. Proprie generalis facta est pro omnibus catholicis Decreto « *Ne temere* » (1908), cuius legislatio practice tota in Codicem est transsumpta.

Sic explicatur praeprimis quare fere omnia impedimenta matrimonialia ab eorum institutione fuerunt dirimentia. Deinde intelligitur quomodo semper talia manserunt. Lex de forma nonnisi imperfecte vigebat usque ad Decretum *Ne temere*. Hoc decretum induxit novam legislationem. Eius materia autem est solum ius de forma iuridica servanda. Decretum *Ne temere* non agit de impedimentis. Codex ius de forma iuridica Decreto « *Ne temere* » statutum transsumpsit practice totum. Sed etsi aliquas induxit opportunas immutationes circa extensionem impedimentorum, impedimentorum vim iuridicam (vim dirimendi) immutatam relinquit. Quare autem hoc omisit, dicere nos nequimus.

Responsio igitur ad quaestionem positam est haec. Impedimenta fere omnia sunt dirimentia, quia antea solummodo impedimenta dirimentia erant vere efficacia ad matrimonia ipsis contraria praecavenda; cum postea hoc non amplius erat sic (propter inductam formam iuridicam ad validitatem servandam), impedimentorum vis iuridica numquam est mutata.

His expositis, aggredienda nobis est quaestio utrum adsint rationes quae militant pro mutatione iuris vigentis circa plura impedimenta.

Leges irritantes quantum fieri potest restringendae.

Multiplicatio legum irritantium et invalidantium plura adnexa habet damna, praecipue si agatur de actibus, a quorum validitate dependent iura magni momenti, e. g. si agatur de collatione officiorum, de delegatione potestatis iurisdictionis in genere, et in specie ad audiendas confessiones sacramentales; de contractibus in genere et de matrimonii celebratione in specie. Praecipue in re matrimoniali multiplicitas legus irritantium videtur esse vitanda, nisi rationes valde graves eas commendent. Quanto enim hae leges numero crescunt, tanto facilius et proinde frequentius celebrantur matrimonia invalida; non proprie malitia hominum, sed fragilitate humana. Fere omnes fideles, non exclusis iis qui pollent cultura religiosa magis ampla, ignorant ius ecclesiasticum circa impedimenta matrimonialia [5]. Ad hoc sciendum carere possumus experientia. Iam

[5] Bartoccetti qui vi officii praxim cognoscere potest, in citato articulo perhibet multas curias dioecesanas ignorare saltem practice impedimentum criminis in quo non habetur coniugicidium (art. cit. n. 15).

a priori scimus res difficiles non esse multis notas [6]. Deinde, ad evitanda matrimonia invalida non sufficit, praeter bonam voluntatem, scientia *legum*. Insuper requiritur ut impedimenta *facto* existentia in casu concreto, cognoscantur et detegantur. Iam imbecillitas hominibus congenita qua multa facta ignorantur sufficeret ut saepe impedimentum existens non detegatur [7]. Animarum pastores hodie praecipue ad multas res necessarias et utiles attendere debent, et quo magis homo, vires suas sat restrictas pluribus rebus applicare cogitur, eo minus ad quamlibet singulatim attendere potest. Et utinam haec imbecillitas naturalis esset *sola* causa invaliditatis propter impedimentum non detectum a parochis! Ubi multi homines operantur semper rationem habere debemus cum negligentiis plus minusve gravibus, qua investigationes iure praescriptae peraguntur zelo et sollicitudine non sufficienti. Evidens igitur est quod multiplicitas impedimentorum dirimentium implicat numerum matrimoniorum invalidorum huic multiplicitati correspondentem. Quodlibet autem matrimonium invalidum est malum grave et non tantum vitandum, sed etiam pro posse praeveniendum et impediendum. Etenim:

1. Quodlibet matrimonium occulte invalidum est status vitae obiective legibus moralibus contrarius seu obiective peccaminosus et communiter protractus usque ad finem vitae coniugum.

2. Quodlibet matrimonium occulte invalidum secumfert periculum ut postea, quoties scilicet saltem alteruter coniugum detegat invaliditatem, declaratione nullitatis dissolvatur. Hoc, praeter scandalum, praecipue hoc habet grave incommodum quod familia, de facto constituta et per longum tempus protracta, et e qua nati sunt plures filii, dissolvatur. Sane, *iuridice* tunc nihil mali fit. Sed ex toto rerum cursu oriuntur illa gravissima mala privata et socialia, ad quae praecavenda condita est lex divina sancta de indisso-

---

[6] In can. 16 § 2 enuntiatur principium: « ignorantia circa legem generatim non praesumitur ». Idem principium aliis verbis in iure civili sonat: « quilibet civis supponitur cognoscere legem ». Attamen hisce verbis legislatores non intendunt declarare se vere putare subditos communiter cognoscere leges. Esset nimis ingenuus qui hoc serio putaret et vitae omnino ignarum se demonstraret. Principium enuntiatum tantum statuit normam procedendi in iudiciis similibusve actibus, et simul continet monitum subditis datum, ut antequam agunt curent scire leges actus suos regentes; ne damna forte ex legum applicatione sequentia sustinere debeant.

[7] Eodem canone 16 § 2 statuitur ignorantiam praesumi circa facta aliena aon notoria. Impedimentum non raro nititur facto alieno non notorio, e. g. procreatione filii extra matrimonium, qua niti potest impedimentum sive consanguinitatis sive affinitatis.

lubilitate matrimonii, saluti generis humani tam necessaria et ab Ecclesia tam zelanter merito custodita [8].

3. Multiplicatio matrimoniorum invalidorum incertam reddit vitam socialem, cum plura iura quae homines rite acquisivisse se credunt, postea non vere acquisita apparent.

4. Matrimonium christianum invalidum implicat nullitatem Sacramenti Novae legis. Coniuges putativi sustinere debent onera gravissima, quin habeant gratias sacramentales quibus in hac re ardua adiuventur.

Nemo non videt haec omnia esse mala gravissima, in ordine tam supernaturali quam naturali, tam vitae privatae quam vitae socialis.

Ex hisce dictis statim concludere: ergo impedimenta dirimentia sunt abroganda sive omnia sive plura, sive totali impedimenti suppressione sive immutatione quo fiunt tantum impedientia, esset praecipitanter procedere. Conclusio quam suggerit prudentia est alia, scilicet: impedimenta dirimentia sunt numero reducenda in hoc sensu quod quodlibet impedimentum est abrogandum, saltem in quantum est proprie dirimens, nisi gravissimae rationes exigant ut proprie tamquam impedimentum dirimens sustineatur.

Non valet animadversio: ex facto quod aliquod impedimentum dirimens hucusque in iure est retentum sequitur hic et nunc pro hoc impedimento has rationes gravissimas vigere. Si hoc esset verum numquam haberentur leges non amplius circumstantiis novis adaptatae, quarum immutationem ut opportunam propugnare quis iure potest. Contrarium autem non tam raro contingere est notissimum. Non tantum canonistae privati saepe in operibus scientificis propugnaverunt iuris immutationes inducendas. Etiam episcopi aliique viri auctoritate in Ecclesia praediti per fere totum saeculum Codicis promulgationi praecedens immutationes petierunt et propugnaverunt et in fine obtinuerunt. Non probabile est quod S. Pius X, qui iuris canonici codificationem incoepit, necessitatem urgentem huius operis non cognoverit nisi postquam ad Sedem Apostolicam fuerit evectus. Obiectione excluderetur quilibet influxus laboris scientifici canonistarum in evolutionem et emendationem iuris. Hoc non esse voluntatem legislatoris ex historia clare apparet.

---

[8] Id quod nocet filiis et proinde societati non est cessatio vinculi *iuridici*, sed dissolutio vinculi de facto incoepto, e quo nati sunt filii. Id quod proprie nocet est, quod duae personae quae vitae consortio protracto filios genuerunt eosque educare debent, hanc vitae consortium rumpunt. Lex indissolubilitatis hoc malum tunc tantum sufficienter praecavet, si simul evitentur matrimonia nulla, praecipue occulte nulla.

Rationes graves sustinendi plura impedimenta?

Quaestio nunc movenda est et solvenda, utrum pro *omnibus* impedimentis dirimentibus hodie vigentibus adhuc urgeant graves rationes ad sustinenda ea? Quod pro aliquibus impedimentis rationes istae urgent non negamus. Quaestio igitur ponitur pro aliquibus, scilicet pro:

1. Impedimento criminis primae ut aiunt figurae (can. 1075, n. 1) seu quod non nititur coniugicidio.
2. Impedimento consanguinitatis in linea collaterali ultra primum gradum.
3. Impedimento affinitatis in linea collaterali.
4. Impedimentum publicae honestatis.
5. Impedimento cognationis spiritualis.

De his impedimentis videtur valere, quod non sunt tanti momenti ut habeatur ratio gravis, proportionate scilicet gravis ut sustinere debeant ut impedimenta dirimentia, etsi tam facile et frequenter sunt causa matrimonii invalidi cum omnibus damnis et incommodis adnexis. Etenim:

I. Hodie impedimenta canonica seu iuris ecclesiastici sufficienti efficacitate praecavent matrimonia ad quae impedienda sunt constituta, si sint tantum mere impedientia. Hodie, dico, i. e. postquam in tota Ecclesia vigere coepit lex de forma celebrationis servanda ad validitatem, pro omnibus qui sibi conscii sunt vel saltem esse possunt se teneri legibus Ecclesiae catholicae. Sicut hodie fere numquam absque praevia dispensatione valide contrahuntur e. g. matrimonia quibus obstat impedimentum mixtae religionis, *etsi hoc impedimentum non sit dirimens sed tantum impediens*, quia nullus parochus huiusmodi matrimoniis assistit et absque parochi assistentia matrimonium est invalidum, sic etiam matrimonia quibus aliquod impedimentorum modo enumeratorum obstat, raro valide contrahentur, etiamsi haec impedimenta cessaverint esse dirimentia [9].

Effectus igitur legis invalidantis ut in pluribus iam obtinetur vi legis de forma canonica servanda.

Sane, in duobus casibus matrimonia contracta cum impedimento erunt valida, scilicet: 1. si agatur de duobus personis quae

---

[9] Negari utique nequit dari aliquod periculum quod quidem parochus cui incumbit officium detegendi impedimenta forsitan obstantia, minus diligenter procedet in investigationibus peragendis ad normam iuris (c. 1019-1031), si consequentiae impedimenti revera existentis sed non detecti sint minus graves, a. v.. si matrimonium est saltem validum. Sed periculum hoc non videtur notabile. Ceteroquin, non agitur de habenda legislatione, cui nullum adnexum est incommodum. Huiusmodi legislationes in vita sociali non dantur.

vi iuris communis exemptae sunt a lege de forma, utpote numquam Ecclesiae catholicae adscriptae. 2. si sponsi contrahant cum impedimento a parocho non noto neque detecto. Videtur tamen quod pro bono communi melius est ut matrimonia sub 1 comprehensa non ratione impedimenti canonici sint invalida [10]. Et quod matrimonia quae impedimento *ignoto* celebrantur sunt valida, est potius commodum quam damnum, si agatur de impedimento, quod detectum practice certo fuisset dispensatione sublatum.

II. Impedimenta quae designavimus fere omnia iam ab ipsis superioribus ecclesiasticis non reputantur magni momenti. Hoc apparet non tantum ex denominatione « minoris gradus » pluribus impedimentis dirimentibus imposita, sed etiam et magis ex iis quae vi Codicis pro dispensatione ab his impedimentis data valent. Dispensatio concessa iam valida est etiamsi unica causa motiva allata est falsa, quin attendatur ad causam falsitatis, sive est ignorantia vel inadvertentia vel error, sive negligentia, sive etiam malitia seu dolus, qua causa sufficiens malitiose fingitur. Normam hanc esse laudandam nullus canonista negabit, praecipue si laborare solet in cura animarum. Sed est laudanda et acceptabilis proprie quia tot vigent impedienta dirimentia, in quibus facile dispensatur et proinde dantur tot dispensationes quae periculo invaliditatis sunt expositae et simul tot matrimonia eidem periculo exposita, ut Legislator necessarium iudicat hoc modo mi-

---

[10] Aliqui forsitan notabunt invaliditatem matrimonii initi tempore quo contrahens erat haereticus non raro fovere et faciliorem reddere conversionem ad fidem catholicam. Nam matrimonium validum quod est ratum et consummatum impedit quodcumque matrimonium personae conversae cum parte cathotica. Sustinere impedimenta dirimentia igitur fovet conversioni haereticorum ad Ecclesiam catholicam. Eandem rationem ipse Bartoccetti in suo articulo (n. 17) adducit in alia materia, scilicet relate ad impedimentum disparitatis cultus. Bartoccetti proponit ut hoc impedimentum restituatur in suam antiquam formam, quam scilicet habebat ante Codicem et qua extensum erat ad *omnes baptizatos*, et non sicut hodie ad solos baptizatos in Ecclesia catholica vel ad personas ad eam conversas. Etiam hanc iuris immutationem esse in favorem conversionum dubio obnoxium non est. Attamen, nobis videtur sanae legislationi, et ni fallor etiam iuri divino consentaneum non esse, multorum matrimoniorum invaliditatem desiderare et lege causare eo fine ut partes postea scilicet post conversionem habeant libertatem contrahendi aliud matrimonium. Contingere potest ut matrimonii individui invaliditas sit factum, de quo in determinatis adiunctis gaudere nobis licet, propter effectus felices hic et nunc sequentes. Sed haec invaliditas in se est aliquod malum et vitandum; et proinde non prosequendum propter aliquem effectum bonum, quod omnino per accidens sequitur. Ordini divinitus statuto in vita humana videtur contrarium causare matrimonii invaliditatem tamquam medium ad promovendas conversiones. Hic Bartoccetti videtur desiderare id, quod in alia articuli parte strenue impugnat, scilicet invaliditatem multorum matrimoniorum. Invaliditas matrimonii non cessat esse aliquod malum, eo solo quod non agitur de duabus personis baptizatis neque quia partes invaliditatem bona fide ignorant.

tigare vim impedimenti. Simul tamen haec praxis est signum quod valor istorum impedimentorum non magni aestimatur [11].

III. Consentimus cum Bartoccetti scribente maximam facilitatem et frequentiam cum qua hodie in multis impedimentis dispensatio conceditur, probare observantiam istorum impedimentorum secundum iudicium superiorum non esse magnae utilitatis. Sed etiam secundum iudicium canonistarum. Nam haec praxis facile dispensandi non fit *contra* doctrinam canonistarum, sed potius est eorum doctrina in praxim deducta. Multi canonistae, qui inter probatos computantur, absque haesitatione docent, firmam voluntatem contrahendi matrimonium cui obstat impedimentum (saltem inter ea de quibus supra sed etiam alia) aut propositum ineundi concubinatum aut matrimonium mere civile, nisi dispensatio concedatur esse causam sufficientem petendi et concedendi dispensationem. Insuper addunt: aequum et decens est ut id quod conceditur malis, non denegetur bonis. A. v. quod conceditur malis quia mali sunt, conceditur bonis quia non sunt mali. Mea sententia haec doctrina quae in praxi applicatur probat practice vigere iudicium: fere nihil mali habetur in matrimoniis, quae sunt impedimentis istis contraria. Cum leges autem revera urgent, id quod refert est ut dispensatio petatur et obtineatur; minime autem ut matrimonium praeveniatur [12].

Quae hucusque attulimus per modum tractatus doctrinalis probare videntur hodie, praecipue cum ubique vigeat lex de forma canonica in celebratione matrimonii servanda ad validitatem, graves rationes quae antiquitus commendabant ut conderentur et condita sustinerentur impedimenta dirimentia, hodie non amplius valere, ita ut mala illa gravissima (multa matrimonia invalida) vitanda hodie commendent ut plura impedimenta tollantur aut saltem vi dirimendi priventur, a. v. ut aliquo modo vis dirimens istorum impedimentorum cesset.

Hoc tunc fieri potest duobus modis, aut immutatione qua red-

---

[11] Sponte surgit quaestio quomodo norma canonis 1054 componatur cum doctrina canonica, quae docet dispensationem datam absque causa proportionata esse illicitam, etiamsi dispensans dispenset in propria lege. Ni fallor ratio quae iustificat normam canonis 1054 est proprie maxima et urgens utilitas evitandi periculum matrimoniorum invalidorum, quibus obstat impedimentum in quo practice semper dispensatur.

[12] Ratione huius praxis hodiernae fideles qui non sunt canonistae vel theologi habent sane aliquem conceptum vulgarem impedimenti matrimonialis, sed omnino corruptum. Pro ipsis impedimentum est aliquid quod facit ut matrimonium tantum fieri possit cum speciali Papae aut Episcopi licentia. Nullatenus putant impedimentum esse aliquid quod vere impedit matrimonium cui obstat. Hunc conceptum rectum habent solummodo de paucis impedimentis, praesertim de impedimentis qui sunt iuris divini ut impedimentum vinculi.

duntur mere impedientia, aut immutatione graviori, qua scilicet omnino abrogantur. Et nullatenus necessarium est, imo ne commendandum quidem ut eadem immutatio eligatur pro omnibus istis impedimentis simul. Datur via media. Commendandum enim videtur ut saltem impedimentum consanguinitatis in linea collaterali inaequali ultra primum gradum *sed tangentem primum* sustineatur tamquam impedimentum impediens [13].

Rationes supra allatae militant pro hac aut pro alia immutatione. Utroque enim modo malum praecavendum (matrimonia invalida) efficaciter praecavetur. Dantur autem duae aliae rationes, quae militant pro totali abrogatione plurium impedimentorum, scilicet fere omnium de quibus nunc agimus. Hae rationes ad alias iam datas adiunctae notabiliter fortificant quae supra propugnavimus. Quapropter nos eas proferre oportet.

1. Etsi iuris canonici in forma Codicis relatione minus arduum reddiderit scientiae canonicae studium, hodie semper adhuc est opus sat arduum addiscere, in memoria retinere, clare ante oculos habere, imo momento opportuno e libris haurire doctrinam de impedimentis ut casus concretus recte tractetur. Legere tractatum de impedimento criminis vel de impedimento consanguinitatis aut affinitatis, cum modis quibus illa impedimenta multiplicantur et non multiplicantur, est opus quod iam canonistae procurare potest capitis vertiginem. Quid tunc continget cum parochis, vicariis paroecialibus, missionariis, qui omnes tot curis apostolicis distrahuntur. In aliquo articulo scripto ni fallor a Cappello in « *Periodica* » legi ad quaestionem: « quomodo evitari possunt actus invalidi »? hanc responsionem: « Missionarii perfectius addiscant ius canonicum ». Monitum optimum, obiective sumptum.

Sed huiusmodi consilia facilius dantur quam in praxi servantur. Etiam de consiliis valet id quod de legibus docemus: debent esse de re possibili, et non tantum absolute possibili sed *moraliter* possibili. Missionarii, parochi eorumque vicarii non sunt sicut professores iuris canonici, qui per plures dies in cubiculum se retrahere possunt ut ope multorum librorum ibi ad manus studio subiiciant et solvant casum. Ut missionarii, ut parochi aliique ministerio sacro valde occupati sufficienter cognoscant ius canonicum

---

[13] Hoc impedimentum viget in multarum rerumpublicarum iure civili. Non tamen ubique ut impedimentum dirimens in sensu quo in iure canonico concipitur impedimentum dirimens . Sed etiam ubi hoc impedimentum est vere dirimens, invaliditas matrimonii semel celebrati non facile detegitur, si matrimonium celebratum est ignorantia facti. Et hoc fieri potest praecipue, si relatio consanguinitatis nititur paternitate illegitima, quae in publicis registris adnotari non solet.

duo efficaciter conducere possunt et debent: eorum maior ad studium applicatio et *iuris ipsius cum doctrina explicativa simplificatio*. Suppressio impedimentorum quae iam de facto raro servantur tractatum de impedimentis et de causis dispensationum ad dimidiam partem reducet et illum liberabit de multis quaestionibus nimis complicatis.

2. Leges quae regulariter non servantur quia in ipsis practice semper dispensatur, alium adhuc effectum habent nocivum, scilicet, efficiunt ut subvertatur et diminuatur apud clerum et populum debitam pro lege et pro auctoritate legislativa reverentiam. Hodie apud populum christianum conceptus impedimenti matrimonialis est corruptus. Fideles, qui potius addiscunt experientia practica quam studia iuris, si interrogentur « quid est impedimentum »? non respondent « est aliquid quo matrimonium cui obstat impeditur », sed dicunt « est aliquid quod si habeatur, ad matrimonium celebrandum requiritur specialis Papae vel Episcopi licentia ». Et clerus in cura animarum occupatus non raro perhibet multa impedimenta nullum habere alium effectum nisi quod aggravant labores pastorales. Nam detectio impedimenti rarissime ducit ad impediendum matrimonium cui obstat, sed ad alios labores necessarios ut dispensatio rite petatur et obtineatur. Sub doctrina et praxi hodie vigenti casus in quo non daretur causa sufficiens petendi et obtinendi dispensationem est rarissimus [14].

3. Aliud bonum quod sequitur ex abrogatione plurium impedimentorum in quibus fere semper dispensatur est, ut clare appareret falsa illa vulgaris accusatio quam quidam contra auctoritates ecclesiasticas inferunt, scilicet quod plura impedimenta tantum sustinentur ut dispensationis frequenter datae taxae percipiantur. Sane, accusatio est falsa. Attamen, sicut in aliis materiis etiam hic non tantum vitandum est malum, sed etiam apparentia mali, quoties hoc fieri potest.

Hanc disceptationem scripsi, ut fusius elaborarem ea quae clarissimus canonista Bartoccetti breviter in suo articulo collegit et copiosius rationibus adstruerem utilitatem immutationum, quas ipse commendat. Finis primarius et immediate intentus non est ut statim aliqua immutatio inducatur, sed potius, ut alii iuris canonici periti rationes prolatas critice probent aut reprobent, demonstrantes defectus quibus laborant, ut sic doctrinaliter praeparatur via qua tuto et absque praecipitatione obtineatur iuris canonici ad temporis exigentias hodiernas adaptatione evolutio.

Dr. L. Bender. O. P.

[14] Vide Bartoccetti, art. cit. n. 13.

« GRADUS REMOTIOR TRAHIT AD SE PROPINQUIOREM ».

IMPROBANDA HUIUS PRINCIPII APPLICATIO

1. *Status quaestionis.* — Tribunal quoddam causam nullitatis matrimonii ex capite consanguinitatis tractandam suscepit. Relatio cognationis, quae viget inter Margaritam, actricem, et Martinum, conventum, ea est, quae insequenti schemate collustratur:



Clare apparet partes in causa duplici nexu consanguinitatis devinci, quia Martinus, sive per patrem, sive per matrem, communem stipitem attingit. Si via paterna attenditur, partes junguntur tertio consanguinitatis gradu, tangente secundum; si, e contra, materna via inspicitur, tantum quarto gradu, tangente secundum, ligantur.

Matrimonium in facie Ecclesiae celebratum est, post promulgatum Codicem Juris Canonici; nec ulla dispensatio petita vel concessa fuit.

2. *Ratio dubitandi.* — Si ante Codicem contractum fuisset matrimonium, partes duplici impedimento detinerentur, quia tunc consanguinitas multiplicabatur etiam quoties multiplicabatur via, per quam ex eodem stipite personae descendebant.

Nunc vero, tenore can. 1076, § 2, consanguinitas in linea collaterali toties tantum multiplicatur, quoties communis stipis.

Ideo, in casu, impedimentum unicum habetur. Sed cuiusnam gradus?

« Hoc opus, hic labor! ». Suppressa enim multiplicitate impedimenti ex multiplicitate viarum, Codex expresse non determinat

quomodo computari oporteat unicum impedimentum, seu quae via, longior vel brevior, sequi debeat ad gradus numerandos.

Gravissimum momentum hùius quaestionis illico apparet considerenti schema consanguinitatis supra propositum. Nam, si nexus consanguinitatis Margaritam inter et Martinum dimetiri debet ex via paterna viri, cum habeatur tertius gradus tangens secundum, matrimonium irritum est. (can. 1076, § 2). Quodsi liceat computare viam longiorem, nempe maternam, quartus gradus, tangens quidem secundum, resultat, et jam sumus extra limites canonici impedimenti: ideo, in casu, matrimonium valet.

Canonistae hanc quaestionem non ponunt. Ipse F. X. Wahl, qui opus specificum, forsan unicum (« The matrimonial impediments of consanguinity and affinity, Washington, 1934 »), conscripsit, huiusmodi indagationem non sibi proposuit.

Tantum De Smet (« De sponsalibus et matrimonio, Bruges, 1927 » pag. 525, nota) dubium ponit, quin tamen resolvat, his verbis: « suppressa autem nunc hac multiplicitate, quaeri potest in quonam gradu servetur consanguinitas et declarari debeat, utrum in 2° gradu aequali, utrum in 2° mixto cum 3° » (pro schemate ibi tradito).

« Dubium solvit *L'Ami du Clergé*, 1920, pag. 313 sq. in alterum sensum, hic applicans principium: gradus remotior trahit ad se propinquiorem ».

Huius notae consideratio anxietatem Tribunalis adauget: quaerit enim utrum ex huiusmodi opinionibus exsurgat, in casu, dubium juris. Scitur enim quod, ex can. 15, in dubio juris impedimentum non urget; matrimonium ideo in casu non esset impediendum, et, eo vel minus, jam contractum esset invalidandum.

Curamus dubitationi Tribunalis subvenire, quaestionem breviter et perspicue, si fieri possit, diluendo.

3. *Opinio commentarii v. i.* « *L'Ami du Clergé* ». — Cum De Smet anceps videatur manere (Cfr. supra, n° 2), illico apparet totum pondus opinionis prolatae regi a gallica ephemeride supra citata.

Hic commentarius, de canonica institutione sacerdotum optime meritus, primis post promulgatum Codicem annis, plurimum adlaboravit in tradendis principiis modernae legis ac in indicandis discriminibus vetus inter et novum jus. Ita, anno 1920 (pag. 240), cuidam sciscitanti quomodo computaretur consanguinitas multiplex ac si posset negligi longior via quae ducit ad stipitem, respondit, paucis omnino verbis, hanc tantum esse considerandam, ac ex eadem via unicum haberi impedimentum.

Nonnulli lectores huic responsioni subscribere detrectarunt ac

suas exceptiones cum moderatore commentarii communicarunt. Ita scriptor, innominatus quidem, occasionem habuit urgendi suam opinionem, quam brevibus argumentis (Anno 1920, pag. 313-314) nisus est vallare.

Frustra quis quaereret organicam argumenti tractationem. Commentarius proponit quasdam animadversiones per principia omnino generalia. Ita, ex. gr., statuit: « L'Eglise est antipathique aux mariages entre parents, et d'autant plus que les parentés sont plus proches — L'Eglise est antipathique aux unions invalides et s'applique avec grande sollicitude à les éviter ».

Postea quaerit quodnam ex duobus principiis applicetur casui concreto, consanguinitatis duplicis ex eodem stipite, unde sponsi ligantur secundo gradu aequali et tertio tangente secundum.

Animadvertit vere secundum principium, « favorable à la plus facile suppression des obstacles au mariage », applicari debere, ac ideo consanguinitatem tertii gradus conservari « comme seul empêchement dirimant in casu ».

Tradit Codicem benignitatem in tali materia ostendisse; suppressisse quartum gradum, uti impedimentum, « et ce n'est pas révéler un secret que d'ajouter qu'il s'en est fallu de peu que le 3^{e} disparût aussi ».

Dicit auctor se nullo modo intelligere posse necessitatem petendi dispensationem et solvendi « la componende du 2^{d} au 2^{d}, quand un 3^{e} est en cause ».

Concludit vero: « Si l'Eglise admet ici le *favores ampliandi* et décide de *trahere secundum ad tertium* (c-a-d. *propinquiorem ad remotiorem*) la parenté naturelle du 2^{d} ne disparâîtrait pas par là-même, mais elle cesserait d'être in casu, à cause de mélange multiple, affectée de la caractéristique canonique dirimante, laquelle se trouverait reportée sur le 3^{e}, et alors la déclaration du 3^{e} tout seul ne rendrait pas nul le mariage, le 3^{e} étant l'unique obstacle à sa validité ».

Juxta huiusmodi opinionem, in casu nostro, cum linea longior per quam conventus jungitur stipiti, quartum attingat gradum, impedimentum non adesset.

4. *Refutatio opinionis relatae.* — a) Magis quam interpretationem vigentis legis, *thesis relata redolet opinionem auctoris fere de jure condendo.* Nunquam, e contra, fieri potest quod lex irritans, quam ideo Ecclesia vult effectum suum semper consequi, a qua nulla ignorantia excusat (can. 16, § 1), generica elucubratione evertatur, quae sonat contra propriam verborum legis significationem.

Memorandum etiam quod, praeter Romanum Pontificem, nomo potest impedimenta juris ecclesiastici abrogare, vel eis derogare (can. 1040), neque consuetudo id valet obtinere (can. 1041).

b) *Eadem opinio continet magnam aequivocationem, a qua* tota inficitur et corrumpitur.

Claritatis gratia, referenda est norma Codicis de computatione consanguinitatis: « In linea obliqua, si tractus *uterque* sit aequalis, tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae; si *duo tractus* sint inaequales, tot gradus quot generationes in tractu *longiore* » (can. 96, § 3).

Normam ideo clarissime statutam pro dicotomia tantum (duae lineae unius cognationis) auctor nisus est transferre ad tricotomiam (tres lineae duarum cognationum).

Nam, schema supra (n° 1) positum denuo inspicientes, ac considerantes nexum consanguinitatis (non impedimenti) inter Margaritam et Martinum, haec animadvertimus: Margarita habet cum stipite lineam fixam; Martinus vero jungitur stipiti sive per lineam Bertae sive per lineam Guillelmi. Unde duplex est nexus cognationis, qui triplici insistit linea.

Principium: « gradus remotior trahit ad se propinquiorem » regit quidem computationem *inter duas lineas*. Sed erronee idem principium applicatur ad computationem *inter duas cognationes*.

Ut conclusio licita esset, necessarium foret aliud principium id generis: « Nexus remotior consanguinitatis trahit ad se nexum propinquiorem ». Ast huiusmodi pronuntiatum non existit, nec existere potest.

c) *Unicum impedimentum remanens non potest esse nisi id quod strictiori respondet nexui consanguinitatis.* — Jam innuimus (supra n° 2), jure Codicis, in casu proposito nonnisi unum adesse posse impedimentum. Quodnam?

Ostensa jam illogicitate applicationis principii relati, ipse sensus communis dictat nexum consanguinitatis, considerandum uti impedimentum, non alium esse posse nisi vinculum strictioris cognationis intercedentis inter partes.

Nulla enim juridica elucubratio efficere potest ut propinquitas personarum, quae a strictiori nexu generationum fundatur, diluatur ac fere evanescat. Hoc praesertim dicitur attentis rationibus physiologicis et reverentiae parentibus, quae praesunt huic impedimento.

Neque dicatur hunc effectum diluendi consanguinitatem jam induci a norma Codicis: « tot gradus quot generationes *in tractu longiore* ». — Glossa Decretalium (c. 9, X, IV, 14), considerans

casum consanguinitatis collateralis inaequalis, forma forsan magis propria, notat: « istae personae non dicuntur *esse* in gradu, sed *distare* gradu... »

Usus enim invaluit dicendi quidem, ex. gr.: « consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis », sed statim adiungitur: « tangente secundum », ut limitetur quodammodo vis praecedentis affirmationis. Methodus romana computationis, quae usu est etiam in Ecclesia Orientali (Motu Proprio Crebrae allatae, 22 Febr. 1949, can. 66, § 4, n° 3), certo magis innuit conceptum distantiae.

Cogitetur momento ad computationem romanam schematis nostri, ut illico appareat fallacia opinionis propositae. Non ideo Ecclesiae lex, sed sententia relata diluit propinquitatem, quia distantiae minori sufficit majorem.

d) *Argumentum ab absurdo.* — Fingi posset aliquod schema consanguinitatis quo avunculus et neptis detinerentur *etiam* quarto consanguinitatis gradu ex alia via a stipite communi. Si vera esset sententia relata (cuius non indicantur limites applicationis), hi valerent matrimonium contrahere absque ulla dispensatione: quod sane est absurdum.

e) *Responsio ad argumentum ephemeridis.* — « L'Ami du Clergé » sibi proponit quandam obiectionem: « Quant aux raisons générales physiologiques..., on nous les objecte aussi, et d'un mot nous répondons que, le cas étant *mixte*, les raisons susdites perdent leur valeur: car si Lucie (in schemate commentarii) est *par moitié* cousine de Jean, elle est aussi, *par l'autre moitié*, sa petite-cousine seulement... » (pag. 314).

Ast omnino incongrua est haec animadversio. Idem esset ac dicere: si Lucia, ultra debitum grave et praecipuum, aliud habet debitum minus, ex hoc fere dives efficitur! Et sane debita respon derent tabi imminenti suis nuptiis ex magis solidata propinquitate cum viro.

Neque quota pars cognationis (par moitié — par l'autre moitié) recte indicatur, quia, si concurrere deberet ad hereditatem communis stipitis, diversae essent eius portiones, ut neptis et ut proneptis. Pari ratione ipsa concurrit in consanguinitate, et ideo graviori pondere cognationis premitur ex strictiori nexu.

5. *Non habetur ideo, in casu, dubium juris.* — Scimus impedimentum canonicum, in dubio juris, dummodo sententia negans sit vere probabilis, non urgere. Id obtinet etiam si opinio pro impedimento sit probabilior.

Ast, in casu, sententia negans impedimentum, a commentario « L'Ami du Clergé » propugnata, nulla donatur probabilitate, sive intrinseca (Cfr. n° 4), sive extrinseca, cum ab uno tantum auctore, De Smet, referatur, quin tamen, saltem explicite, adprobetur.

Non officit quod auctor (l. c., pag. 314) suam opinionem dicat « sérieusement probable », invocetque Commissionem Interpretationis Codicis « pour trancher cette difficulté ».

6. *Conclusio.* — Si ageretur de matrimonio contrahendo, petenda esset dispensatio ab unico impedimento consanguinitatis in tertio gradu lineae collateralis tangente secundum.

Opinio commentarii citati de dispensatione petenda pro impedimento quod resultat ex computatione lineae, seu potius consanguinitatis longioris, aperte profligatur a can. 1052 et a resp. Pontif. Comm. ad Cod. can. auth. interpr. diei 8 Julii 1948 (A.A.S., 1948, p. 386). Nam dispensatio impetrata pro determinato impedimento valet etiam pro alio impedimento eiusdem speciei *in aequali vel inferiori gradu*, quod bona vel mala fide reticitum fuerit; non vero pro impedimento *gradus majoris.*

Quia vero agitur de matrimonio contracto absque dispensatione, Tribunal, seu melius Ordinarius, poterit inoffenso pede, instituto processu summario, ad declarationem nullitatis devenire (can. 1990).

Aurelius Sabattani
S. R. Rotae Auditor

DE VOTO IN CAPITULO HISTORICE CONSIDERATO

Dr. P. Ioachim Iassmeier M. S. C. (Missionarii Sacratissimi Cordis Iesu) publicavit in Periodico « Münchener Theologische Studien, III. Kanonistische Abteilung, 5 Band » suam thesim pro laurea in iure canonico obtinenda sub titulo: « Das Mitbestimmungsrecht der Untergebenen in den älteren Männerordensverbändem » (ius subditorum in antiquioribus Ordinibus virorum vigens participandi cum voto deliberativo aut consultivo communibus deliberationibus). Verlag Karl Zink, München 1954.

Praefatio

In praefatione I. notat studia circa ius comparativum in materia iuris religiosorum nostro tempore sat raro publicari. Pro auctore principalis ratio huius defectus posita est in quasi immensa varietate Constitutionis specificae singulorum Ordinum et in defectu historiae circa singulorum Ordinum leges constitutivas. I. studet citato operi istud fundans principaliter in *Fontibus* iuris particularis religiosi.

Divisio materiae

Materia tercentarum paginarum dividitur post Introductionem in duas Sectiones; prima evolvit ius subditorum in Ordinibus cum regimine monasteriorum sui iuris. Caput primum respicit Benedictinos nigros in tribus paragraphis; sequens autem caput tractat de iure subditorum in Ordinibus monasticis sub uno capite positis, sc. in Ordinibus albi coloris, uti sunt Camaldulenses, Cistercienses, Olivetani, Cartusiani. Caput tertium considerat ius subditorum in Ordinibus Canonicorum Regularium. Post conspectum historicum allegantur Praemonstratenses, Ordo S. Crucis (Crucigeri), Canonici Regulares Windesemenses, necnon aliae Congregationes Canonicorum Regularium.

Sectio secunda exponit ius subditorum in Ordinibus regiminis sic dicti centralizati; primo in capite disseritur de regimine Mendicantium, uti sunt Dominicani, Fratres Minores, Conventuales, Capuccini, Carmelitani, Eremitae S. Augustini, Hospitalarii S. Ioannis de Deo. In secundo autem capite agitatur de Ordinibus Clericorum Regularium. Commemorantur Societas Iesu, Clerici Regulares Minores (Caracciolini), Clerici Regulares Pauperes Matris Dei scholarum piarum (Scolopi), Congregatio Sanctissimi Redemptoris. In Appendice I. tangit brevi manu Instituta moderniora.

Introductio

Introductio ad totum tractatum evolvit sequentem mentem: Ordines religiosi vi propriae originis, vi vitae sodalium suorum communis, ratione proprii finis secundarii ab ipsis intenti occupant in Ecclesia universali locum proprium. Originem in concreto debent suis fundatoribus, quibus sese associarunt libera voluntate imitatores in ordine ad perfectionem christianam assequendam per observantiam consiliorum evangelicorum. Quia autem studium perfectionis evangelicae et participatio apostolatus ecclesiastici respiciunt totum corpus mysticum Ecclesiae, ideo singuli Ordines indigent approbatione auctoritatis competentis ecclesiasticae, quae ipsis concedit existentiam iuridicam, incorporationem in ordinem Ecclesiae iuridicum, capacitatem ad recipienda iura ecclesiastica et ad suscipiendas correspondentes obligationes Legislator supremus respiciendo cum sapienti et prudenti discretione originem, statum vitae, finem particularem a singulis Ordinibus intentum sese vitae communi formandae et constituendae immiscet solummodo in tantum, in quantum bonum universalis Ecclesiae id postulare videtur. Circa alia elementa legislator relinquit dispositionem autonomiae Ordinum propriae, vi cuius capax est ad vitam degendam proprio fini secundario correspondentem intra terminos iuris communis Religiosorum. Quo ex facto resultat diversitas illa, qua Sponsa Christi transit per saecula « circumdata varietate ». Non obstante hac varietate in singulis Ordinibus et Congregationibus, omnibus tamen communis est character *socialis*, qui sese manifestat v. g. in constitutione Superiorum eorumque adiutorum per directam vel indirectam electionem a subditis exercitam; in participatione subditorum in sessionibus capitularibus, in admittendis novis membris ad novitiatum, professionem temporariam aut perpetuam, in administrandis bonis temporalibus. Subiecta huius participationis determinantur a Constitutionibus, salvo iure communi. Quamvis mensura participationis sit sat diversa in singulis Religionibus, tamen in omnibus minimum quid subditis concedendum est iuxta reg. 29 in VI.: « quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari ». (l. 5 § 2. C. V. 59; can. 101 § 2 C. I. C.).

Scopus operis

Tandem I. scopum sui operis iustificat ex eo, quod nostro tempore in Rebus publicis magnus influxus subditis in administrando bono communi conceditur. Curnam non regnare deberet eadem mens in Religione?

I. praemittit toti tractatui Fontes et bibliographiam et deinde singulis capitibus correspondentes Fontes et Litteraturam.

Benedictini nigri

1) *Regula S. Benedicti*

Primo loco auctor disserit de Benedictinis nigris.

In prima paragrapho considerat I. ipsam regulam S. Benedicti, in quantum dat membris participationem in rebus communibus deliberandis et adiungit historicum conspectum de evolutione Capituli monastici benedictini usque ad saeculum XIII. Pro I. S. Benedictus reputandus est primus legislator vitae monasticae in Ecclesia Occidentali, imbutus spiritu iuris Romani. Vi Regulae vita in communi est character fundamentalis totius constitutionis singulorum monasteriorum; nam S. Benedictus intendit « *coenobitarum* fortissimum genus » disponendum. Cardo totius monasterii est Abbas, qui Christi vices agere creditur et ideo plenam administrationem monasterii et regimen subditorum sibi usurpat. Sed ultimus et profundissimus sensus huius plenitudinis potestatis est: « ut animae salventur ». Utrum Sanctus pro disponendo loco Abbatis ante oculos habuerit patremfamilias iuris Romani aut Episcopum dioecesanum, disputatur. Sed non obstante hac Abbatis quasi illimitata plenitudine potestatis, tamen, quoties aliqua praecipua agenda sunt in monasterio, convocet omnem congregationem et dicat ipse unde agitur. Si qua vero minora agenda sunt in monasterii utilitatibus, seniorum tantum utatur consilio. Ratio motiva est illud Ecclesiastici: « omnia fac cum consilio et post factum non poeniteberis ». Unde vi Regulae abbas gaudet duplici corporatione consultiva, sc. congregatione i. e. tota monachorum communitate (Capitulum, Conventus) et Senioribus. Circa electionem Abbatis statuitur: hic constituatur Abbas, quem sive omnis concors congregatio secundum timorem Dei sive etiam pars quamvis parva congregationis saniore consilio elegerit. Praepositum autem monasterii eligit Abbas « cum consilio fratrum timentium Deum ». Quae fundamentalia principia per plura saecula observantur, data exclusiva Regulae auctoritate in Occidente. Consuetudines monasticae deinde pressius definiverunt terminum: « praecipua agenda » et designaverunt illos monachos, qui excludendi erant a sessionibus capitularibus. Institutum conversorum sive fratrum laicorum etiam sub hoc respectu novas normas creavit. Modus dandi consilii mutari coepit, saltem in quibusdam coenobiis, ex saec. 11 et 12, in quantum v. g. in praeposito constituendo Conventus gavisus est voto deliberativo. Porro suum influxum exercuerunt Curia Romana,

Legati Apostolici, Concilia provincialia, Synodi dioecesanae. Sed limitatio potestatis abbatis numquam usque eo processit, ut Conventus per sua suffragia abbatem ad certam actionem ponendam cogere potuerit. Insuper ex fontibus non elucet abbatem posuisse actum iuridice invalidum consensu Conventus non obtento.

2) *Congregationes monasticae*

I. in sequenti paragrapho respicit ius vigens in *Congregationibus monasticis Confoederationis benedictinae*, quod in singulis partibus hic considerari nequit, etsi prodit characterem et spiritum singularum Congregationum.

3) *Capitula generalia*

Auctor deinde transit ad illustrandam participationem monachorum in Capitulis Congregationum generalibus. Primo datur respectus historicus amplectens saec. 13 usque ad finem saec. decimi octavi. Capitula generalia per Cartam Caritatis in Ordine Cisterciensi introducta in Concilio Lateran. IV. ab Innoc. III. ad omnes Ordines monachorum et canonicorum regularium extensa sunt. Necessario inde creata est quaestio: cuinam competit ius partem habendi in hisce Capitulis? solum Superioribus aut etiam singulis conventibus mediante electione Delegatorum? Responsum illustratur per Constitutiones diversarum antiquarum Congregationum O. S. B. Ius ibidem vigens non recepit suas normas a iure communi religiosorum; ideo singulae Congregationes proprium ius crearunt: unde quaedam excludunt a Capitulo generali Conventum mediantibus Delegatis; aliae vero Delegatos admittunt; v. g. Congregatio Bavarica a. 1858 restituta revocavit ad novam vitam Statuta a. 1686, quae admittunt Delegatos ad Capitulum generale. Sed etiam in illis Congregationibus, quae admittunt Delegatos, locus ipsorum non est idem quoad suffragia deliberativa aut consultiva.

De tota quaestione pro sua competentia summa tractat P. Philippus Hofmeister O. S. B. in gravi articulo: « Die Teilnehmer an den Generalkapiteln im Benediktinerorden » (Ephemerides I. C. 5 (1949) 368 ssq.). Iassmeier censet concludendo: participatio Delegatorum a Conventibus electorum certo correspondet cap. 3 S. Regulae, additque: absoluta aequiparatio inter Superiores et subditos in Capitulis Generalibus repugnat tum verbis dicti capitis tertii tum loco monarchico Superiorum statuto in S. Regula. Unde consequenter ad normam capitis tertii I. censet Superioribus in Capitulis generalibus dandum esse votum deliberativum, Delegatis autem solummodo consultivum, si excipias mutationem Statutorum, in

quantum tangunt omnes uti singulos. Ad instar Appendicis I. breviter tractat de regimine Confoederationis Benedictinae.

Conclusio

I. tractatum de Benedictinis nigris concludit sequenti mente: ius Capituli dandi consensum in formanda monastica familia, Capituli influxus in totam administrationem rei familiaris, electio Superioris et Seniorum, saltem ad partem, tandem influxus consiliariorum in regimine monasterii: quae omnia collectim sumpta demonstrant apud Benedictinos in oppositione ad maiorem Ordinum sic dictorum centralizatorum partem summam subditorum cooperationi datam fuisse: si nihilominus locus Superioris monarchicus, prout in S. Regula ipse gaudet, remanet substantialiter intactus, hoc factum provenit ex eo, quod suffragium communitatis est solummodo prohibitivum, numquam creativum seu aliis verbis: monachi per sua suffragia possunt utique prohibere abbatem, ne agat, numquam autem possunt eum cogere, ut agat. Quamvis in certis iuridicis actibus abbas debet audire consilium aut habere consensum monachorum, tamen numquam est obligatus ad exsecutionem decretis a Communitate statutis dandam. Unde omnia Abbatis acta sunt sua personalia et tota responsabilitas cadit in ipsum.

Item est responsabilis pro infectis, dummodone ipse Conventus, cuius consensus fuit requisitus, abbatem in agendo prohibuerit. Consilium Abbatis non est ad instar collegii ex Directoribus mensae publicae compositi, praeside Abbate obligato ad maioritatem votorum; non est ad instar conventus actionariorum deliberativi. Regimen monasterii benedictini residet in manibus firmis patris familiae monasticae, cui filii adulti pro sua experientia et tutamini sunt et robori.

Camaldulenses. 1) *De singulis Conventibus*

In capite secundo exponitur primo loco regimen Camaldulensium. Post instructivum conspectum historicum circa fundationem Ordinis Camaldulen., divisionem in plures Congregationes, exstinctionem Congregationis Turonen. et Gallicae vi rerum publicarum eversionis in Gallia sub finem saec. 18 I. transit ad proponendum regimen *Conventus Camaldulen.* censetque normas pro regimine singulorum Conventuum in antiquioribus Statutis sat mancas fuisse. Statuta a. 1080 circa nostram materiam sonant: « Susceptiones monachorum, monasteriorum ordinationes, et quaecumque praecipua sunt agenda, eremitarum vel consilio vel praesentia

fiant ». Constitutiones de Murano a. 1249 praescribunt: de sede monasterii vacante quam celerrime Prior Generalis Camaldulen. certior fiat, ut ipse in persona aut per suum Delegatum in electione partem sumat. Videntur Conventuales solummodo iure *praesentandi* candidatum gavisos fuisse; nam de Priore generali aut ipsius Delegato statuitur: « Vota fratrum diligenter inquirat, et illum eligat et confirmet atque instituat, in quem maior et sanior pars concordaverit fratrum ». Illud: « eligere, confirmare, instituere » competiit soli Priori generali. Vi statutorum a. 1253 superior localis « cum consilio fratrum » nominavit officiales monasterii.

Etiam Constitutiones a. 1569/71 pauca continent de regimine Conventus; si talis praeter superiorem gavisus est saltem decem Conventualibus, poterit mandare ad Capitulum Generale Delegatum, qui « et cuncta monasterii et fratrum particularium negotia ibi tractabit ». Iuxta nominatas Constitutiones monachi non directe Priorem generalem et superiores locales eligere poterant, sed indirecte suum gravem influxum exercere poterant, in quantum singuli monachi, interrogati sunt, quem desiderent uti Priorem generalem, uti superiorem localem. Qui tamen influxus fuit moralis, non iuridicus, in quantum Capitulum generale liberum fuit in statuendis superioribus seu aliis verbis: subditi non habuerunt votum decisivum. Etiam novissimae Constitutiones Eremitarum Camaldulensium Congregationis Montis Coronae (1934) committunt Capitulo generali nominationem superiorum; Capitulum conventuale gaudet jure eligendi officiales, excepto oeconomo eligendo a Capitulo generali. Quod attinet negotia iuridica, valet axioma: « quod a maiore parte approbatum fuerit, definitum ac ratum habeatur ».

Pro admissione ad Postulatum, Novitiatum, primam professionem, competit Capitularibus suffragium decisivum. Duo ex gravioribus Patribus efformant Consilium Prioris; unus ex ipsis debet esse sive magister novitiorum, eligendus a Capitulo generali aut a Diaeta, sive praefectus scholasticorum. Statuta Camaldolensium Etruriae (a. 1943) exhibent characterem centralisticum. Autonomia coloniarum Eremitarum et Conventuum ad Eremos pertinentium et consequenter ius monachorum participandi cum voto decisivo aut consultivo negotiis communitatis in pluribus casibus est limitata in favorem supremi regiminis. Qui character centralisticus praeprimis in eo sese manifestat, quod Superior localis non a Conventu eligitur, sed a Capitulo Generali. Prout in Ordine nigrorum Benedictinorum, ita etiam apud Camaldulenses Prior monasterii gaudet in regimine duplici Consilio, sc. Capitulo conventuali et Senioribus. Sed in pluribus casibus decisio Capituli conventualis subiacet approbationi Consilii Generalis. Monasterium perfectum

i. e. colonia Eremitarum cum monasterio monachorum gaudet iure eligendi Delegatum (Discreto) ad Capitulum Generale. Speciale quid est factum, quod in certis casibus Prior tenetur ad exsecutionem decreti a Capitulo conventuali statuti; quae norma non correspondet capitulo tertio S. Regulae. Item Conventui nullus ius competit in eligendo Senioratu. I. hanc conclusionem concludit: si instituimus comparationem inter regimen Camaldulensium et Benedictinorum nigrorum, resultat: apud Benedictinos nigros iura Conventus multo maiora sunt quam apud Camaldulenses. Res ex eo provenit, quod autonomia singulorum Conventuum quasi absorbetur per regimen centralisticum supremum.

2) *De regimine Congregationis*

De regimine ipsius Congregationis breviter haec dicenda sunt. Iam antiquissima Statuta ex saec. XI relative amplas normas exhibent circa locum iuridicum Prioris Generalis. Vi Constitutionum a. 1080 Prior generalis eligendus est ab Eremitis Camaldulensibus et monachis nonnullis monasterii « Fons bonus » i. e. coenobii Camaldulensis, et assumendus ex Eremitis; nam « non potest esse magister ordinis, qui non fuit discipulus ordinatae conversationis ». Auctoritas Prioris generalis sequenti modo circumscribitur: « ille, qui de hac eremo (scl. Camalduli) est prior, idem ipse fiat de praedicto hospitio, qui dicitur Fons — bonus et dominus de omnibus monasteriis, cellulis, eremis, et canonicorum ecclesiis, atque de omnibus obedientiis et loca abbates et priores, aut fratres, prout necesse fuerit, constituat et ordinet, salvo semper suo dominatu et praecepto ». Capitulum generale singulis celebrandum annis primo tempore i. e. saec. XI et XII videtur fuisse conventus solummodo Superiorum; sed iuxta Statuta a. 1253 Capitulum celebrandum erat singulis trienniis et ambitus participantium auctus fuit; sc. « praelati tam maiores quam minores, omnes suffraganei necnon et hospitalarii, capellani sanctimonialium et cappellani ecclesiarum ad domum Camaldulensem specialiter pertinentium » locum in Capitulo habuerunt. Admissa fuit etiam electio per compromissum « unum vel tres eligendo, ut voce omnium Camaldulensium provideant de pastore ». Reformator et Protector Ordinis Cardinalis Octavianus interdixit capitula particularia i. e. Diaetas annuatim celebrandas et de novo introduxit Capitulum generale annuale et iussit constitui sex Definitores, e quibus quattuor Praelati et duo Eremitae Camaldulenses; qui Definitores magna auctoritate gavisi sunt. Primis saeculis Prior generalis ad vitam electus fuit; sed sub initium saec. XVI Capitulum generale limitavit officium ad tres annos; eli-

gendi non erant amplius sumendi ex Eremitis, sed etiam coenobitae ad tale officium vocari poterant. « Sed dissoluta unione monachorum et eremitarum, a sesquiseculo Congregatio sibi praefixit ex Abbatum numero unum, qui abbatis generalis titulo... ad quinquennium gaudet, et is una cum duobus visitatoribus electis ex diversis provinciis Congregationem universam gubernat ». Porro illo tempore unumquodque coenobium Delegatum ad Capitulum generale eligere poterat; Definitores autem erant novem, sex Praelati et tres ex Delegatis monasteriorum. « Ad officium Definitorum pertinet cuncta in Capitulo occurrentia atque de Congregatione disponere: Quod tempore Capituli ipsi Definitores omnem repraesentant Congregationem: Quodque ipsis electis intelligitur omnis a Capitulo et Patribus universis tributa potestas ».

In Congregatione Montis Coronae Capitulum generale ad instar regulae componitur ex solis Praelatis, sed si numerus decem et octo non attingitur « tunc inter Sacerdotes solemniter professos tot alii eligantur Vocales quot desunt ad illum numerum complendum. Eligantur autem bimestri ante Capitulum a sacerdotibus item solemniter professis per schedulas clausas in quibus intus scribantur nomina candidatorum, foris autem nomen eligentis ». Notandum est: Congregatio Montis Coronae Eremitis monachis solummodo per modum exceptionis concedit ius participandi Capitulo generali; Congregatio vero Etruriae ad instar regulae admittit Delegatos Conventuum; sed horum Delegatorum influxus semper minoris momenti et ponderis erit; nam Capitulum compositum est ex Superioribus, ex officialibus Congregationis, in quorum constitutionem subditi aut nullum aut solum modestum influxum exercere possunt.

Conclusio haec est: « l'autonomia delle case è limitata a norma delle Costituzioni, le quali vogliono una stretta unione di tutti gli eremi e monasterii col Governo centrale ed una grande ed efficace autorità in questo ». (Declarationes n. 2).

De Cisterciensibus

1) *Historia*

Camaldulenses sequitur Ordo *Cisterciensium.*

I. primo exhibet brevem conspectum historicum usque ad nostra tempora. In limine fundati Ordinis Cisterciensis stant tres personae eminentes per propositum perfectissimae vitae et per capacitatem creandi convenientem vitae monasticae formam, sc. Robertus, Albericus, Stephanus Harding. Quid intenderint fundatores

« novi monasterii », Albericus in suo opere: « Instituta monachorum Cisterciensium de Molismo venientium » hisce verbis clare expressit: « Abbas ille et fratres eius non immemores sponsionis suae Regulam Beati Benedicti in illo loco ordinare, et unanimiter statuerunt tenere, reicientes a se quidquid Regulae refragabatur... et cetera omnia quae puritati Regulae adversabantur. Sicque rectitudinem Regulae semper cunctum vitae suae tenorem ducentes tam in Ecclesiasticis quam in caeteris observationibus, Regulae vestigiis sunt adaequati seu conformati ». Quae norma non valuit solummodo pro « novo monasterio », sed pro omnibus immediate aut mediate a Cistertio provenientibus monasteriis. Crescente fundationum numero necessaria fuit constitutio quaedam ordinans imprimis relationem filiarum ad « matrem omnium » i. e. Cistercium. Quam Constitutionem creavit Stephanus Harding, tertius Cistercii abbas (1109-1134). In Capitulo generali a. 1119 « Cartam Caritatis », approbatam a Calixto II a. 1119 publicavit. Lex Ordinis Cisterciensis tenet medium inter centralizationem Ordinis et autonomiam singulorum monasteriorum. Quae autonomia sese manifestat per electionem abbatis a monachis faciendam, per locum abbatis iuridicum, per independentiam monasterii in materia pecuniaria; sed quamdam limitationem subiit per Capitulum generale et « abbatem - patrem » seu « patrem primum ». Primae mutationes seu interpretationes Cartae Caritatis datae sunt a Clemente IV (1265) et Benedictio XII., qui autonomiae singulorum Conventuum maiorem partem tribuendam esse censuerunt necnon influxui monachorum in regimen coenobii. Ex initio autem saec. XV plures Congregationes Reformationis conditae sunt cum propria legislatione; quaedam sese seiunxerunt a Cistertio: aliae autem connexum cum Ordine retinuerunt. Speciali mentione digna est Reformatio Armandi Ioannis Le Bouthillier de Rancé introducta a. 1664 in monasterio « la Trappe ». Sub Leone XIII tres hucusque separatae Congregationes unitae sunt in Ordinem Cisterciensium reformatorum seu strictae observantiae. Cistercienses non reformati gaudent octo Congregationibus sub regimine Abbatis Generalis.

2) *De regimine Conventuum*

Regimen Conventus quod attinet, haec dicenda sunt: normae fundamentales Cartae Caritatis subditis solummodo in propriis Conventibus ius participandi in negotiis iuridicis cum suffragio concedunt, sed haec participatio limitata erat ad electionem abbatis et ad votum consultivum in maioribus monasterii negotiis. Sed iam primo a fundatione saeculo quidam Conventus sibi usur-

paverunt ius eligendi Priorem; sed Capitulum generale a. 1217 statuit: « quoniam vero in quibusdam domibus contra formam Ordinis eliguntur Priores, statutum est a Capitulo generali, quod abbates sibi priores instituant cum consilio fratrum Deum timentium, quos et quomodo voluerint convocare ». Etiam conatus Conventuum obtinendi suffragium in statuendis Officialibus et Senioribus repulsus fuit in « Libello novellarum Definitionum » a. 1350 hisce verbis: « Abusus in quibusdam monasteriis observatus, quod certi numeri consiliarii a conventibus eligantur, quorum consilio Abbates fere in omnibus regulentur... reprobatur ». Etiam Congregationes ex saec. 16 fundatae v. g. Polonica, Germaniae Superioris statuerunt: « ipsi officiarii a fratribus non eligantur, sicut nec Prior nec Subprior ». In maiore parte Congregationum Cisterciensium haec norma retenta fuit; sed Congregatio S. Bernardi Italica a. 1831 concessit, ut duo sacerdotes monachi a Conventu eligerentur, ut una cum Abbate et Priore examinarent administrationem temporalem Cellerarii aliorumque Officialium. Novissima Statuta a. 1925 concedunt, ut Prior et Cellerarius proponente Superiore a professis votorum solemnium eligantur. In Congregatione Casamarensi abbas assumere debet saltem duos a Conventu electos Consiliarios. Porro Conventus tribus vicibus in anno dat suffragium circa novitios; sacerdotes monachi decernunt de admissione confratrum ad ordines maiores. Condiciones pro voce activa in eligendo abbate non sunt eaedem in singulis Congregationibus.

Reformati Cistercienses pressius tenent normas Cartae Caritatis et respiciunt effective relationem filiationis.

3) *De regimine Congregationis*

In octo Congregationibus non eodem modo ordinata est participatio subditorum in Capitulis generalibus et intermediis; ratio forsan haec est: dictae Congregationes sunt haeredes antiquarum Congregationum suo tempore reformatarum, e quibus ipsae quaedam elementa traditionalia retinuerunt.

4) *De regimine ipsius Ordinis*

Constitutiones S. O. C. de supremo regimine a. 1934 editae concedunt subditis sub quibusdam condicionibus quendam influxum in supremum regimen Ordinis. Capitulum generale potest monachos propter scientiam ipsorum eximiam aut insignia merita vocare uti membra Capituli; item provisum est, ut Congregationes, quae non gaudent monasteriis sui iuris, pro omni quinquagenario in-

choato monachorum numero, possint eligere Delegatum pro Capitulo generali.Etiam Abbas generalis de Consilio Definitorum poterit vocare ad Capitulum Generale monachos eximios scientia aut meritis, quin tamen gaudeant suffragio. Decreta Capituli Generalis valent usque ad sequens Capitulum; si ab ipso confirmantur, vim legis habent. Consiliarii Abbatis Generalis sunt Praesides singularum Congregationum necnon Procurator generalis a Capitulo generali electus.

Cistercienses Reformati ex a. 1892 proprium constituunt Ordinem celebrantque singulis annis Capitulum generale compositum ad mentem Cartae Caritatis ex solis abbatibus, prioribus conventualibus, aliisque superioribus. Solummodo quinque Definitores, eligendi ad quinquennium a Capitulo generali, possunt esse monachi non fungentes munere superioris in Ordine, admittendi ad Capitulum cum suffragio mere consultivo. Capituli est: eligere abbatem generalem ad vitam, vigilare de administratione Curiae generalitiae, decernere depositionem aut acceptationem renuntiationis abbatis generalis, abbatum, priorum, concedere novas fundationes, edere statuta generalia ad mentem S. Regulae, exercere potestatem iudicialem et coercitivam.

5) *Conclusio*

I. tractatum de Cisterciensibus in haec colligit verba: Ordo Cisterciensium Reformatorum est societas exclusive a Superioribus gubernata; mitigatum tamen est hoc systema per autonomiam singulorum conventuum iuxta principia Cartae Caritatis. In regimine singulorum monasteriorum gaudent monachi iure participandi in electione Superiorum, in admissione novitiorum ad professionem temporariam et huiusmodi professos ad vota solemnia iuxta normam iuris communis, in administratione bonorum temporalium. Unde typus coenobii benedictini conservatus est.

Etiam in Ordine Cisterciensium non reformatorum invenies regimen in genere auctoritatis superiorum, sed novissima statuta concernentia supremum Ordinis regimen concedunt monasteriis non sui iuris quendam influxum in regimen universale Ordinis.

De Olivetianis

1) *Historia*

I. praemittit expositioni iuris vigentis excursum historicum de primo saeculo Ordinis usque ad editionem antiquissimarum Constitutionum a. 1445 (il primo corpo di Costituzioni Monastiche per

l'ordine di Montoliveto). Monasterium Montis Oliveti a. 1319 fundatum fuit a Bernardo Tolomei, Patritio Patrizi, Ambrosio Piccolomini et ab Episcopo Arretino die 26 mart. 1319 approbatum. Tres fundatores Regulam S. Benedicti observandam sibi proposuerunt, sed in hoc recesserunt a S. Regula, quod Abbas eligendus erat solummodo ad annum, utique semper de novo eligendus, ita ut Bernardus Tolomei de facto ab a. 1321 usque ad suam mortem (1348) munere abbatis functus fuerit; quo anno ratione pestilentiae grassantis 80 monachi mortui sunt.

Ordo confirmatus fuit a Clemente VI a. 1344 cum facultate edendi Constitutiones, sed ipsum regimen fuit ad instar Ordinis centralizati. Ex Bulla Clem. VI « Hisque ad divini laudem » de 6 aug. 1351 eruitur compositio Capituli generalis, in quo partem habuerunt Prior et duo monachi a singulo Capitulo conventuali eligendi, qui a parte sua abbatem generalem elegerunt. Ex a. 1351 ipse ad triennium electus fuit, sed repetita electio non fuit exclusa. Sed a. 1369 abbas generalis Ramieri, cuius praedecessor per duodecim annos regimen tenuit, hanc normam dedit: triennio elapso abbas generalis non est amplius eligendus, nisi elapso triennio, resp. ex a. 1408 sexennio. Notatu dignum est statutum Ioann. XXIII a. 1412: si abbas generalis propter excessus in spiritualibus vel temporalibus deponendus erat, Capitulum generale nominat tres monachos, qui contra abbatem processum iudicialem instruant.

Studium limitandi potestatem abbatis generalis subsequentibus temporibus magis magisque invaluit. Nam sub Martino V. Reformatio Ordinis commissa fuit Cardinalibus Antonio Casini et Nicolao Albergati Cartusiano. Schema Reformationis a. 1430 auctoritatem abbatis generalis dependentem fecit a consensu aut consilio sex Visitatorum. Capitulum Reformatorium collectum fuit a. 1431 sub praeside Cardinali Casini, qui vocavit ad consilium praestandum etiam abbatem generalem Camaldulensium, Ambrosium Traversari, et Ludovicum Barbo, fundatorem et abbatem generalem Congregationis S. Iustinae. Summi ponderis fuit sequens statutum: priores possunt in futurum secum sumere ad Capitulum generale solummodo *unum* Delegatum, ne Delegati singulorum Conventuum in Capitulo praevaleant; immo denegatum fuit Delegatis ius activum in eligendo Abbate generali; concessum solummodo suffragium in negotiis pertractandis. Sed a parte monachorum gravis resistentia opposita fuit, ita ut pro futuro unumquodque monasterium, sive magnum sive parvum Delegatum ad Capitulum generale mittere potuerit, « qui habeat vocem, nomine sui conventus tam in electione abbatis generalis quam in aliis pertractandis ». In Decreto a. 1430

sentitur influxus Cardinalis Albergati *Cartusiani*, nimium limitantis auctoritatem abbatis generalis; Decretum a. 1438 studuit antiquioribus Ordinis consuetudinibus observandis. Hisce principiis fundantur antiquissimae Constitutiones nobis traditae a. 1445. In Prologo haec verba habentur: « Quoniam Constitutiones et Reformationes fratrum et monachorum Ordinis S. Mariae Oliveti hactenus editae seu factae, erant onerosae seu impossibiles fratribus ad observandum, et multa in se conscientiarum gravamina continebant: idcirco ut paci et unitati dicti Ordinis, et statui salutari ipsius... salubriter provideretur ».

2) *De regimine Conventus.*

In Constitutionibus a. 1445 pauca sunt expressa de regimine singulorum monasteriorum. Conventus in nominandis officialibus solum paucis pro casibus partem habuit: sed Conventui ius erat eligendi duos, tres, plures monachos, qui adiuvent Priorem in tractandis negotiis exterioribus; item Prior et Conventus elegerunt duos monachos, qui una cum Priore singulis trimestribus examinarent administrationem Cellerarii. Monachi non videntur bono animo portasse talem pro ipsorum opinione nimis modestum influxum in regimine monasterii; nam Statuta hanc notam addunt: « nec per hoc debet aliquis contristari, nam ordinationes monasteriorum spectant specialiter ad Abbatem ».

Singuli autem Conventus potuerunt eligere Delegatum ad Capitulum generale. Circa electionis modum in electione Delegatorum observandum per duo decennia difficultates habitae sunt, compositae tandem per Clementem VII et Paulum III. Statuta a. 1886 redierunt ad antiqua principia benedictina declarando: « Cum (Regulae) ita adhaerendum existimatum est, ut Monasterium et Congregationem regendi ratio, in his constitutionibus definita non sit prorsus eadem ac illa quam et maiorum statuta et consuetudo tulerunt, sed ea potius quam SS. Patriarcha in Regula exhibet ». Vi horum Statutorum omnes monachi habent suffragium in Capitulo; novissimae Constitutiones a. 1932 supponunt professionem solemnem. Ad instar regulae monachi capitulares gaudent voto consultivo tantum, sed « Quoties familiae sententia per secreta suffragia requiritur, quod maior pars approbaverit, id omnino tenendum est ». Vi Constitutionum a. 1886 Seniores fuerunt: prior claustralis, lector theologus, magister novitiorum, monachus senior professione: unde omnes Seniores erant aut ab abbate nominati aut ex Statutis determinati; novissima statuta lectori theologo et seniori vi professionis non amplius concedunt locum in Senio-

ratu, sed loco eorum stant duo monachi a Conventu electi. Ius gravissimum et praecipuum monachorum eligendi proprium abbatem concordissime ad S. Regulam in novis Statutis monachis iterum concessum est. Voce activa gaudent monachi solemniter professi; per se abbas est ad vitam iuxta statuta a. 1886; ad duodennium vi novarum Constitutionum.; prior conventualis ad triennium, quamvis superior maior. Statuta distinguunt abbatiam, Prioratum, domum non formatam. Pro erigenda abbatia requiruntur praeter abbatem saltem duodecim monachi solemniter professi; pro erigendo Prioratu sex monachi, inter quos quattuor sacerdotes; parviora monasteria efformant cum viciniore monasterio unam familiam, nisi a Definitorio aliter statuatur, et sunt ab ipso dependentia in iis, quae ab eodem Definitorio statuuntur. Singuli Conventus eligunt Delegatum ad Capitulum generale. Archicoenobium Montis Oliveti deputare poterit quattuor monachos pro eligendo Abbate generali; pro negotiis aliis tractandis suffragium habet solum prior claustralis et primus Discretus archicoenobii, cuius privilegium facile intelligitur ex eo, quod abbas generalis sit archicoenobii pater.

3) *De regimine Ordinis*

Vi Constitutionum a. 1445 membra Capituli generalis fuerunt omnes Ordinis Praelati et Delegati uniuscuiusque monasterii; Abbas generalis electus ad biennium debuit saltem post quadriennium cedere muneri suo. Coram electo Abbate generali omnes Priores et Officiales officio suo renuntiare debuerunt. Anno 1472 etiam Procurator generalis residens Romae in monasterio S. Mariae Novae (S. Francesca) ius suffragii in Capitulo generali obtinuit. Anno 1501 munus Abbatis generalis duravit per biennium. Abbas Lugano hanc rationem dedit: « La durata quadriennale del governo abbaziale parve soverchiamente lunga, sia perchè sembrò propizia a fomentare una certa dominazione su tutto l'Ordine, sia ancora perchè sembrò precludere il passo a molti che erano stimati degni di reggere a tanto peso con lode e soddisfazione comune ». Constitutiones a. 1445 ab Iulio II a. 1507 confirmatae sunt, quae characterem centralizationis clare exprimunt hisce verbis: « Sancimus quod omnes et singuli dictae Congregationis monachi Ordinem ipsum professi praesentes et futuri, quamvis in diversis monasteriis sive locis pro tempore maneant, unum tamen corpus et una congregatio existant ». A. 1535 statutum fuit: abbas generalis singulis bienniis eligendus erat una vice ex monasteriis sitis citra, altera vice ultra Apenninos sitis: vicarius generalis autem debuit

esse ex monasteriis sitis citra Apenninos, si Abbas generalis e monasterio ultra Apenninos et viceversa. Singulis sexenniis iuxta statuta a. 1886 convocatur Capitulum generale pro tractandis negotiis, cui intersunt Abbates et priores conventuales; vi Constitutionum a. 1932 singulis sexenniis convocatur Capitulum generale, cui participant Delegati singulorum monasteriorum. Tum in singulis Conventibus tum in regimine totius Ordinis ius subditorum participandi cum voto deliberativo aut consultivo in electionibus aut negotiis pertractandis grave pondus obtinuit: in regimine conventus per electionem directam Superioris et dimidiae partis Seniorum, per votum consultivum in pluribus negotiis; in regimine totius Ordinis per suos Delegatos ad Capitulum generale mittendos aut per Superiores ab ipsis monachis electos, quibus competit ius electionis membrorum ipsius Curiae et votum consultivum aut deliberativum in deliberationibus in Capitulo generali.

DE CARTUSIANIS

1) *Historia*

I. praemittit introductionem historicam de fundatione notatque S. Brunonem numquam intendisse fundationem Ordinis; unde nullam Regulam conscripsit; Constitutiones tunc solummodo vitam receperunt, quando monasteria primitus inter se independentia sese evolverunt in corpus organicum. Tandem quintus Prior Carthusiae magnae Guigo collegit consuetudines oraliter traditas a. 1127. In Prologo notat se per longum temporis spatium distulisse scriptas normas, « quia vel in epistolis B. Hieronymi, vel in Regula beati Benedicti... omnia pene quae hic religiose agere consuevimus contineri credebamus ».

Regula S. Benedicti remansit etiam pro posterioribus statutis fundamentum totius aedificii; statuta Camaldulensium, qui iam ante S. Brunonem vitam eremiticam cum coenobitica conciliare studuerunt, visibilem influxum exercuerunt. Postquam aliae Eremi consuetudines Guigonis receperunt, ipsarum Superiores a. 1142. convenerunt ad Capitulum generale et sese subiecerunt directioni Prioris Carthusiae Magnae. Unio Eremorum hucusque independentium in unum Ordinem tali modo data erat. Ex a. 1155 singulis annis Capitulum generale celebratum fuit. Leges saeculo sequenti emanatae a. 1250 collectae sunt in « Statuta antiqua ». Secutae sunt plures collectiones legum, et diversae editiones eiusdem « Novae Collectionis »; ultima ante Codicem a.1879. Statuta post Codicem edita fuerunt approbata in forma specifica a Pio XI per Bullam « Um-

bratilem » 8 jul. 1924. Ordo numquam reformatus, quia numquam deformatus.

2) *De regimine Conventus*

Ab initio conventus Carthusianorum stetit sub directione Prioris. In Conventu principali seu in Carthusia magna defuncto Priore ipse Conventus elegit successorem; quae consuetudo observata fuit etiam post fundatum Ordinem, cuius caput fuit Carthusia grandis. Unde Dom Longin Ray scribere potuit: « C'est un cas unique dans l'Eglise qu'une simple maison puisse, en élisant seulement son prieur, nommer le ministre général ayant autorité sur l'ordre entier ». Etiam alia monasteria sibi elegerunt superiorem; sed decursu temporis libertas electionis magis magisque limitata fuit. Post Tridentinum solummodo conventus cum quattuor monachis iure eligendi praeditis superiorem eligere poterant; pro minoribus conventibus Visitator provincialis providit de rectore usque ad sequens Capitulum generale. Maiores Conventus poterant etiam renuntiare iuri activae electionis et postulare Priorem aut a Capitulo generali aut a Priore Carthusiae grandis. Per se munus Prioris erat indefinitum; si autem iudicio Capituli « inutiles » reputati erant, moneat Capitulum generale eos ad renunciationem; si noluerint, providebit idem Capitulum utilitati domus. Condicio pro voce activa fuit professio in respectivo monasterio emissa et post Tridentinum receptio subdiaconatus. Voce passiva gavisus est religiosus, qui saltem per tres annos membrum Ordinis fuit, professus monasterii electionis, sacerdos.

Iuxta antiquam traditionem benedictinam Prior Eremi pro administrando conventu duplici Consilio gavisus est: sc. Capituli domestici et Seniorum. Consuetudines Guigonis reddunt cap. 3 S. Regulae hisce verbis: « Si quid igitur magnum vel grave tractandum fuerit, Prior omnes in unum Monachos praecipit convenire; ibique cum omnes quid sentiant libere pronunciaverint, quod melius rectiusque existimat, sine ulla personarum acceptione, exsequitur... In levioribus vero rebus et magis consuetis suo tantum et maturiorum est contentus consilio ». In Statutis posterioribus ipsi Conventui concessa est in quibusdam casibus vox deliberativa. Ut deliberatio in Capitulo sit libera et independens ab influxu superioris, sequens modus in deliberando praescriptus fuit: « Quibus proponens (Prior) negotium, non debet manifestare ad quid inclinatur, ne per hoc videatur velle trahere alios ad hoc quod intendit, sed tantum aperire quidquid occurrit in materia proposita pro et contra; ut omnibus hinc inde consideratis et singulis

quid sentiant libere pronuntiantibus, quod melius rectiusque existimaverit, sine ulla personarum acceptione exsequatur ». In secunda editione Novae Collectionis pro voce activa in Capitulo requisita fuit professio ante quinquennium emissa; nam glossa notat: juniores monachi « ab his tractatibus non absolute necessariis removentur, ne ulla rerum externarum discussione, aut temporalium cogitationibus ab habitu intimae recollectionis assumendo, et a temporalium oblivione retrahantur ». Conventus gavisus est voto consultivo in admissione candidati ad novitiatum; temporibus posterioribus requisitus fuit consensus Capituli pro admissione ad novitiatum et professionem. In casibus alienationis bonorum libertas Prioris limitata fuit tum per consensum Capituli tum in gravioribus casibus per licentiam specialem Prioris Carthusiae.

Seniores fuerunt Vicarius, procurator, duo ad minus seniores seu discretiores ipsius conventus; qui omnes a Priore nominati sunt. Coram ipsis Prior singulis annis rationem reddere debuit de re familiari administrata. Statuta ex a. 1924 vigentes pauca mutaverunt de traditionibus Ordinis. In casu novae fundationis monachi in novo monasterio gaudent voce activa et passiva, « usque dum sint quatuor novi solemniter Professi: eamque vocem retinent, etiam pro electione Prioris, quamdiu in eadem domo manserint ». Si monachi mittuntur ad aliud iam existens monasterium, « vocem habent in omnibus tractatibus, praeterquam in electione Prioris, si officium exerceant Procuratoris, Sacristae, Coadiutoris, Magistri novitiorum: aut postquam in hac domo tamquam Hospites tres annos pacifice transierunt. Vicarius vero etiam in electione Prioris vocem activam habet ». Iura Capituli domestici partim per C. I. C. definita sunt; unde constitutio regiminis in Eremo magnam affinitatem habet cum regimine abbatiae benedictinae.

Seniores nominati a Priore in hisce tantum casibus fruuntur voce deliberativa: in casu can. 647 decisio stat apud Priorem Generalem cum suis Senioribus; in alienatione bonorum, quorum valor excedit mille libellas aureas, Seniores gaudent voce deliberativa; multis tamen in casibus voce consultiva fruuntur.

Quod attinet electionem Prioris, decursu temporum Conventus sua iura expertus est magis magisque limitata. Revera solummodo in hisce tribus casibus Conventus eligit suum Priorem: 1) si praedecessor durante munere defunctus est; 2) si Prior durante munere a Visitatoribus depositus est; 3) si coram duobus Prioribus a Priori generali ad hoc delegatis Prior suo officio renuntiavit et si haec renuntiatio acceptata est. Solummodo communitas Carthusiae magnae gaudet sine restrictione iure eligendi suum Priorem.

3) *De regimine Ordinis*

Prioribus temporibus unaquaeque Eremus fuit independens et subiecta Ordinario dioecesano; tandem a. 1142 celebratum fuit Capitulum generale, ad quod convenerunt ex undecim Prioratibus solum quinque Priores. Anno sequenti secundum Capitulum celebratum fuit; Fontes de compositione huius Capituli non dant lucem; deinde per decem annos ex causis ignotis Capitulum generale quievit. Negotia tractanda iam in primo Capitulo definita sunt hisce verbis: « Primum itaque capitulorum hanc habet continentiam, ut divinum Ecclesiae officium prorsus per omnes domos uno ritu celebretur, et omnes consuetudines Carthusiensis domus, quae ad ipsam religionem pertinent unimode habeantur ». Applicando hoc principium iuridicum Patres statuerunt: « Ut neque Priori Carthusiae nec ceteris quibuslibet prioribus his omnibus quae vel ad divinum officium vel ad ceteras quaslibet huius religionis institutiones pertinent, sine communi consilio generalis capituli demere aliquid, vel addere licitum sit ». In posteriore Capitulo singulis Prioribus concessa est facultas edendi decreta circa ea, quae in consuetudinibus Guigonis non receperant normas, « ita tamen quod ea, quae ordinaverint, non dissonent a statutis ». Legitimas consuetudines singulorum monasteriorum, quae contra Statuta vel scripta Capituli non sunt, ne Priores immutent.

Membra Capituli generalis a. 1155 fuerunt « Priores totius Ordinis, prout fieri potest, quam Carthusiae monachi »; quo factum est, ut Carthusia grandis in Definitorio ex novem sedibus frueretur quinque; quae disproportio ansam dedit postulandi aliam votorum distributionem; concordia non obtenta, decisio quinque arbitris, duobus sc. archiepiscopis et tribus Dominicanis commissa fuit. Arbitrio ab Alex. IV a. 1256 approbato condicio circa componendum Definitorium in favorem subditorum melior facta est.

Circa mutationem statutorum distinctio haec facta est: mutatio « ad evidentem relaxationem ordinis » et mutatio non tangens primaevam observantiam. Pro mutatione primae speciei requisitus fuit consensus Prioris generalis et saltem quattuor Definitorum; pro secunda specie sufficiens erat maioritas Definitorii. Conventus Carthusiae grandis aemulus severioris disciplinae huic decisioni restitit; unde tres arbitri non Carthusiani vocati sunt, qui a. 1271 sequentem normam statuerunt: leges respicientes relaxationem indigent consensu omnium Definitorum, consensu capituli domus principalis, approbatione per duo subsequentia Capitula. Quae norma recepta fuit in « Statuta antiqua ». Porro tres arbitri Ordinis a. 1281 statuerunt: Prior generalis in omnibus quaestionibus, quae

respiciunt conservandam primitivam observantiam, gaudet duobus suffragiis.

Locus praeeminens Carthusiae magnae prae aliis domibus ex eo habetur, quod ipse conventus eligit caput Ordinis, quod iuxta Statuta a. 1924 « in omnibus tractatibus, electionibus et votationibus duplicem habet vocem »; insuper idem conventus suffragio gaudet in deliberationibus circa mutanda statuta. Monachi aliorum conventuum in Capitulo generali non gaudent ullo loco vel voto; ita statuit Capitulum generale a. 1332.

Ex hisce dictis elucet: Ordo Carthusianus gubernatur a primaria sede; intima relatio inter caput et membra conservatur per Capitula annualia et frequentes visitationes.

D. Gerardus Oesterle O. S. B.

NATURA E LIMITI DEL CANTO DELLE DONNE IN CHIESA

1. Uno dei temi più discussi della riforma della musica sacra, dal *Motu Proprio* di S. Pio X a oggi, è per l'appunto la posizione della donna nel canto sacro, liturgico e popolare.

Da una parte la sempre crescente partecipazione della donna alle più svariate manifestazioni della vita sociale in genere e di quella cattolica in ispecie; dall'altra parte la fine o la decadenza delle antiche *Scholae cantorum* e delle Cappelle musicali (e le molteplici difficoltà per ricostituirle o vivificarle) hanno orientato molte persone — anche costituite in dignitate et quidem in altissima dignitate — verso un più largo impiego nel canto sacro dell'elemento femminile, onde rendere possibile il servizio musicale sacro nelle chiese sprovviste di una *Schola.*

Ma contro questo orientamento altri hanno lanciato il loro anatema, richiamandosi alla lettera del *Motu Proprio* di S. Pio X e tralasciando o sorvolando su alcune risposte della S. C. dei Riti, pubblicate sia sotto il Pontificato e con l'approvazione di S. Pio X, sia dopo; le quali pertanto sono da ritenersi dichiarazioni autentiche e integrazioni dello stesso *Motu Proprio.*

Purtroppo le discussioni in materia non sono state sempre sorrette da un'adeguata conoscenza della legislazione musicale sacra e si è preteso di far dire e stabilire dalla S. Sede quello che la S. Sede non ha detto e non ha stabilito affatto. Si è così provocato un artificioso contrasto tra la prassi, quasi universalmente in atto in Italia e all'Estero, dei cori femminili o misti, e le teorie di alcuni interpreti poco avveduti delle norme pontificie in materia.

Questa confusione d'idee, ha complicato la questione e ha suscitato, in Italia e all'Estero, serie riserve anche da parte della Gerarchia Ecclesiastica contro conclusioni restrittive che non collimano con la lettera e con lo spirito delle prescrizioni della S. Sede in materia.

E' possibile chiarire e risolvere questo problema?

E' quello che tenterò di fare in questo articolo, desumendo gli argomenti *ex jure condito* e astenendomi dal prospettare soluzioni *de jure condendo.*

* * *

